EPISTOLARVM LIBER IN QVO PLVRA,

QVAE AD LIBERVM HOMINIS ARBITRIVM PERTINENT

Nouo Stilo,

PRAETER CAETEROS PIE', ET CHATOLICE' *EXPLICANTVR.*

Auctore Hieronymo Manfredo Iureconsulto Bononiense Fauentiæq; Præfecto.

Ad Sanctissimum D. N. SIXTVM Quintum Pont. Max.



CAESENAE.

De Superiorum Licentia.

Apud Bartholomæum Rauerium. M. D. XIIIC.

HIERONYMVS MANFREDVS PIO LECTORI.

HAEC ſcripſi Lector, veterum pia ſcripta ſecutus.
Orthodoxa Dei, quæ ſchola tota probat.
Si tamen inuenies, quæ rectam vertere mentem
Poſsint, & Sancto ponere corde malum,
Tunc Fateor peccaſſe reum, pedibusq; recurro
Eccleſiæ Sanctæ, Quæ probat illa, probo.

HIERONYMUS
MANFREDUS
PIO LECTORI.

HAEC scripsi Lector, veterum pia
scripta secutus,
Orthodoxa Dei, quae schola tota
probat.
Si tamen inciderint, quae rectam vertere mentem
Possint, & Sancto ponere corde malum,
Tunc fateor peccasse meum, pedibusq; recurro
Ecclesiae Sanctae, Quae probat illa, probo.

SIXTO QVINTO PONTIFICI MAXIMO.

HIERONYMVS MANFREDVS S.

BEATISSIME PATER. Quot sunt in homine libertates quærit Hæreticus? quatuor; à necessitate, à peccato, à iustitia, à miserijs. Respondit chatolicus Prima tantum, naturæ suæ conuenit, aliæ non ita, sequuntur enim varios vitæ status, conditionesq; diuersas, vnde vinculis necessitatis solutus, ac liber, est homo sorte sua, ita vt per ipsum actiones, siue effectus impediri possint. A peccato eum gratia liberat, à iustitia per fidem in Christo exoluitur; quòd si dicat se nihil posse aduersus illa, quæ Deus constituit. Respondeo, ipsum nihil agere decreuisse de se ipso absq; voluntatis suæ interuentu, cum igitur ita constituerit, vt per viam præceptorum suorum progrediatur, si ad metam cupit

 opta-

optatam peruenire eniti debet, vt quo minus fieri posſit à præſcripto recedat, & ita cum Propheta clamabit, viam mandatorum tuorum cucurri Psal. 115. præmium autem huius laboris æterna eſt fælicitas, per quam à miſerijs liberatur, quod niſi, vocem ſuam audierit, fruſtra gemitus effundet. Prouerb. primo: vocaui, & renuiſtis, extendi manus meas, & non fuit, qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, ego quoq; in interitu veſtro ridebo, & ob hanc cauſam Paul. primo ad Cor. 3. Dei (inquit) cooperatores ſumus. Et Petrus Epis. 2. primo; ſatagite fratres, vt per bona opera certam veſtram vocationē, & electionem faciatis, & Ioan. Apoc. iij. tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Hæc ad doctrinam omnium ſcripta ſunt, omnibus prædicantur; paucis quibuſdam exceptis quorum opera in adminiſtratione ſuæ eccleſiæ Deus vti voluit, horum electionem celebriore quadam ratione conſtituiſſe, quam cæterorum omnium credendum eſt, cum nobis præeſſe eos voluerit, vt tamquam duces, & lumina, quæ ſequeremur haberemus, quare de Chriſto legimus, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum Ioan. primo. & eiuſdem viij. Ite in vniuerſum mundum, & prædicate Euangelium.

gelium. & qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit. Mar. vlt. de suis autem, quos diximus alijs præposuisse Mat. V. inquit vos estis sal terræ.

Neq; vero cuiq; istud mirum videri debet. quòd Paulus dixerit apud Deum non esse personarum discrimen, nam illud intelligitur, quo ad largitionem gratiæ, cæterum vnicuiq; datur secundum mensuram, quòd si sapientes veteres existimarunt Reges, in tutela Iouis esse, & diuinus Plato testatur Deum reipub. non præficere homines, nec quemuis humana specie natum, quanto magis dicendum est, Deum verum ac præpotentem illorum, quibus gregem suum cõmittere voluit præcipuam quãdam curam gerere? neq; vero cùm ijs tantopere Deus faueat arbitrari fas est, quòd ipsi se perdere nequeant, vt velint, nolint, salui futuri sint. hoc enim maxime absurdum esset, nam quis vnquam Deo acceptior Hæbreo populo? quem Deus gentem sanctam, populumq; suum appellat, exod. 19. mea est omnis terra, & vos eritis mihi in regnum Sacerdotij, & gens sancta, eosdem Paul. ad Rom. vij. naturales ramos vocat, nihilominus eiecti fuerunt, quam ob causam, quia sui eum non cognouerunt; inquit Ioan. primo. itaq; nullam satis idoneam excusationem afferre possunt, neq;

aliquis mihi obijciat Deum non adhibuisse eam omnem diligentiam in illis vocandis, quandoquidē nihil intentatum reliquit, vt eos ad sese raperet, quoniam in primis pro eo missus fuerit, vt ibi testatur Christus. Matt. 15. non sum missus, nisi ad oues, quæ perierant domus Israel.

Quanta autem vehementia populum vocauerit, declarat Matt. 23. quoties volui congregare filios tuos Hierusalem, quemadmodum gallina congregat pullos suos, & noluisti, qua obsecratione clarius amorem, quo populum suum prosequeretur aperire potuit?.

Et multò ante eādem hanc sententiam declarauerat Esai. 5. Hierem. primo. quid potui facere vineæ meæ, & non feci? eam conseui, exornaui, muniui, pinguem reddidi, quam ob causam? vt vuas ferret, ipsa autem agrestes racemos protulit. Hoc ipsum ostendit Paul. ad Rom. xi. vbi aperte docet, Deum velle omnes seruari, quod nisi quantum in nobis est, in hoc ipsum elaborabimus, vt filij eius viuentes absq; dubio tanquam rami inutiles amputabimur, atq; e Christi vinea proijciemur. hoc est ab ecclesia separabimur, in qua tantummodo fructus reddere possumus. exemplum Paulus eo loci affert. quid? (inquit) fracti sunt rami, vt ego inserar, bene fracti sunt, sed propter incredulita-

tem,

tem, intelligens nullam Dei esse causam, nam ipse nota illis reddidit, quæcunq; ad salutem ducere possunt, omnia tamen neglexerunt, nihil enim propter hanc causam eos sese efferre oportuisset, sed modestè ac demissè diuinis mandatis parere, cum vero nimis magnos sibi sumpserint spiritus, hinc factum est, vt in profundum deiecti fuerint, ideo Paul. subdit, tu autem fide insta; noli altum sapere, sed time, si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat, & prima ad Cor. 9. de se ipso loquens, ego (inquit) sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne cum alijs prædicauerim; ipse reprobus efficiar, veruntamen inter illos paucos electos, de quibus superius dictum est, reponendus est Paul. Nam de ipso Christus Act. 9. ait vas electionis est mihi iste; vnde is de se postea ad Rom. 8. certus sum, quòd neq; vita neq; mors separabit me a caritate Dei, quæ est in Christo, nihilominus non sine timore, & moderatione animi corpus suum castigabat, perinde ac si de propria salute incertus esset, tanc vt nos admoneret; quòd cum nobis omnia à Deo, vt à causa vere libera, bona, & ipsi libere agamus; semper soliciti esse debemus, ne aliquid admit-

tamus,

tamus, quod Deum à nobis auertat, vnde cælesti hæreditate priuemur.

Ex his ergo colligitur, quod quantum ad Dei voluntatem præcedentem attinet, omnes vult saluos fieri, & hoc animo nascentes intuetur, cæterum ea voluntas qua hominem prosequitur, eiusq; vitam, ac mores intuetur, semper fuit, vt omnes seruaret, sed absq; hominis opera nequaquam hoc fiet. quare Apoca. 22. inquit: qui sanctus est, sanctificetur adhuc; ijs autem qui in scæleribus degunt, dicitur: pænitentiam agite, Appropinquat enim regnum Dei Matt. 3. peruersa itaq; Iouiniani fuit assertio, cum electos cadere non posse affirmat, aut acceptam semel gratiam amittere: Improbè quoque Nouatius, eos qui cecidissent amplius consurgere non posse, credidit, modestè autem, vt etiam piè catholica ecclesia contrà decreuit, Dei electos gratiam amittere posse, cum ea medium sit, quo ad finem perducimur, vt de Iudeis dictum est, & Christus nobis exemplo adulteram proponit, cui inquit, cum eam absoluisset Ioan. 5. Vade, & noli amplius peccare, videat ergo qui stat, ne cadat, & e conuerso, qui ceciderit, vt consurgat, illis adminiculis, quæ Deus sapientissimus in omnium gratiam comparauit. Non tamen absq; vllo discrimine medicina (quod ridiculi

faciunt

faciunt medici) adhibenda eſt, quemadmodum enim non omnes ſunt vnius generis morbi, ſic diuerſa oportet eſſe remedia; variæ animum cupiditates impetunt, alij namq; ad luxuriam ſunt procliues, facile auaritiam cauebunt, alios videas ad iram propenſos, qui nullo negotio furtum euitabunt, alios ſecus affectos inſpicere poterimus, quibus ſingulis ſingula medicamina ſunt admouenda ex horum numero Pharao, Iudas, & illi extitere, qui perdito ſenſui dediti fuerunt. ad Rom. primo, nihilominus iſtos omnibus ſtudijs proſequutus eſt Deus, ne perderentur. quare cum Nabucdonoſor, adeo obduruiſſet, vt per ſeptem annos in ſolitudine herbis veſceretur, tamen vt ad Deum reuerſus, remiſſum eſt illi delictum, & in regia ſede reſtitutus. Daniel. 4. & Cain ſic Deus alloquitur. quare iratus es, & concidit vultus tuus? nonne ſi bene egeris, bene recipies. Genes. 4. & alibi nonne ſi pænitentiam egerit gens iſta, a malo ſuo quod locutus ſum aduerſus eam ceſſabitur. Hierem. 15. de Hebræis autem Paul. ait ad Rom. xi. ſed ſi nō permanſerint in incredulitate, inſerētur. & alibi verba faciēs de ira ſi quis emūdauerit ſe ab iſtis, erit vas ad omne opus bonū, paratum in honorem, & non in contumeliam. 2. ad Timot. 2. tum quo pacto ab ea cauere

possimus monet. Iuuenilia inquit desideria fuge, sectare iustitiam, & fidem, spem, caritatem, & pacem cum ijs, qui inuocant Deum. Hinc prosequitur de gratia quam concomitantem appellant sermonem habens, atq; ostendit eos omnes qui pereunt ipsorum culpa, non Dei interire, quandoquidem ipse est, qui gratiam largitur, atq; offert electis, ij vero, qui peccatis sese obstrinxerunt, in illis degunt, Deo inuito, sin autē de postrema ad subsequenti voluntate agimus, quia Deus vtitur in discessu hominis ex hac vita; verum est, quòd quicunq; in peccato moriuntur reprobi vocantur, ita quòd salutem assequi nequeunt, contrà vero qui in gratia obdormiunt, prædestinati appellantur, neq; amplius, aut errare, aut perdi possunt. Atq; hoc est Chaos illud, quod Abraham inter se, & infelicē epulonem intercedere dixit. Luc. 16. vt neq; mali bonos adire, neq; boni malos possint, propter libertatem igitur, cælestē munus gratiæ, atq; hereditatis amittere possumus; nō enim & sicuti sæpius diximus nos cogit, debemus etiam alia ratione timere, & humiles esse, quoniam cum Deus liberè nos elegerit, in eius manu omnia sunt posita, nihilq; necessario aut violenter agit, & si sponte eligit, sponte quoq; idem non eligere potest, neq; hoc dico, quòd vtrunq; simul

posſit, ſunt enim repugnantia, ſed hoc volo, vt quemadmodum iuriſconſulti loquuntur, qui habet velle, habeat etiam nolle: Noſtra tamen, non eius culpa eſt, ſi in ijs flagitijs intereamus, in quibus procreati ſumus, & poſtea ipſo reclamante viximus. Accedit, quòd cum Deus vniuſcuiusq; noſtrum cuſtodiam angelo cuipiam tradiderit, ſemper vereri debemus, ne nobis ilud accidat ingratitudinis culpa, quod apud Hieremiam ſcriptum eſt. 52. curauimus Babilonem, & non eſt curata, derelinquemus eam, liberi namq; ſancti ſunt, qui pro nobis apud Deum verſantur, & libere a noſtri cuſtodia, si eos indigne habuerimus, recedere poſſunt, liberi etiam ſunt miniſtri euangelij, & Doctores Eccleſiæ itaq; illis integrum eſt, vbi labores ſuos contemptui eſſe viderint deſiſtere à prædicatione, atq; ea conqueri, quæ Paul. Act. 13. vobis oportuit prius loqui verbum Dei, ſed quoniam repuliſtis illud, & indignos vos iudicaſtis, conuertimur ad gentes, liberi etiam ſunt Dæmones ad malum ſolummodo, itaq; non deſiſtunt nos itinere inſtituto ad ſalutem prohibere, ne ipſi hæreditatem è qua expulſi fuerũt, conſequamur. quare Paul. ad Ephes. 6. non eſt (inquit) nobis colluctatio aduerſus principes, & poteſtates harum tenebrarum, & Pet: prima.

cap. 5. Aduersarius noster Diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. & Iob. 41. non est potestas super terram, quæ comparetur ei, quòd nisi probitate vitæ nobis caueamus, audiemus illa, quæ Hier. 5. scripta sunt. seruiuistis Dijs alienis, qui vobis non daturi sunt quietē neq; die, neq; nocte.

Vale idibus Maij.



AMPLISSIMO PATRI DOMINO ALEX. FARNESIO S. R. E. CARDINALI, ET VICECANCELLARIO Potentissimo Salutem.

QVid gratia Dei libertati hominis prodest, aut quam illi fert opem optant scire curiosi, Religiosissime Antistes, quibus vt satisfaciam succurrit in primis Puerum in cunis ludentem, qui in quamcūq; partem sese verterit, sic illæ mouētur, eumq; sequuntur, vbi is residet, & ipsæ consistunt, ad eundem modum rem istam intelligi existimamus libertatem puerū, gratiam incunabula esse, quam in partem libertas tendit, eam secum fert, sin autem constat, ibi etiam vna residere cunas, atq; ociosas esse oportet, idem quoq; puer mouetur, si tamen sua libertate primus mouerit, sic omnia nobis reddentur, modo ipsi libertate motum excitemus, instar baculi,

cui viatores innituntur, est gratia, vnde Iacob. Genes 32. in baculo tuo transiui Iordanem; videmus, ergo libertatem prauis hominibus debelitatam gratia sustentare talentis, etiam quæ Dominus seruis dedit, vt quæstus facerent gratiæ comparatur Matt. 27. etenim gratiæ auxilio homini facultas datur, rectè agendi, in quam rem elaborare debet, pro eius, qui eam largitur laude ac gloria, vnde Luc. xviiij. negociamini dum venio, & Paul. ad Cor: 6. hortamur vos, ne in vanum gratiam Dei recipiatis, & idem Paul. de se ipso dicit: gratia eius in me vacua non fuit, sed plus quã omnium elaboraui prima ad Cor: 5. præterea quemadmodum tenera mater, aut malum, aut quid simile filio ostendit, cum ad se vocans, neq; illa pomum offert, quod is tale quidpiam concupierit, sed eum excitat, illiq; ardorem injcit ad concupiscendum, ita Deus nostri studiosissimus gratiam libertati nostræ offert, quamuis non eam desideramus, aut promereamur, illaq; accepta boni efficiamur, & secundum virtutes operemur, quare Ioan. 6. nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum, hæc vestis illa est vniuerso humano generi attributa, fingamus summum aliquẽ virũ homini hanc dono dedisse, certè non illi integrum erit, eam conficere,

nihil-

nihilominus induēdæ facultatem habet, atq; hoc est, quod Paulus ait; induimini D. Iesum Christū ad Rom. 15. & eph: 5. & Matt: 12. ait Christus amice quomodo huc intrasti, absq; veste nuptiali, Rursus cathenæ nobis è cælo dimissæ gratia comparatur, quam ipsi libertatis manibus retinentes, Deum tamen non mouemus, aut ad nos trahimus, sed illi coniungimur, vnde illud sequitur, qui adheret Deo, vnus cum ipso spiritus efficitur, Paul: prima. ad Cor: 6. & quid aliud est nauis in summo mari iactata, nisi gratia, in qua humana acquiescit libertas, ab ea aduersus fluctuum impetus defenditur, rectis cogitationibus eam mouens, atq; rapiens ad littus tutissimum, portumq; quietis, ac felicitatis, quæ est Christus; lumine quoq; omnibus ellucens persimilis est gratia, quæ à Deo clarissimo fælicitatis fulgore prouenienes nobis tutissime iter in huius vitæ periculis, & latebris ostendit adhortationibus nos tutos, atq; animatos, ad traijciendum reddens, hinc illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis sedent, & Luc. 2. orbi apparuit, & Ioan. 8. ego sum lux mundi, quam obsecro nisi gratiam inteligens, qua ipse omnibus sibi credentibus donaturus erat, lumen ad reuelationem gentium Luc. 2. lux clarissima, tantæq; virtutis, vt omnem si

voluerit, omnium cecitatem aperiat, atq; illustrat, quid est igitur, quid cæteris posthabitis curis, nam ad tantum aſcendamus ſplendorem, vt cæcus, Luc. 16. miſeremini mei filij David quo ad malum enim oculis omnium ſol exiſtit quē canimus, apparet., ita Dei gratia cunctis refulget, apparuit gratia Dei ſaluatoris N. omnibus hominibus Paul: Tim. 2. ſed vt clarius, & altius Amabiliſsime Pater pronunciatum a me ſupra præpoſitum explanem, dico gratiam comparari, vt inde exordiar baculo; vt diximus cui initimur, hinc videmus ſimilitudinem, gratia nobis eſt adiumento; vt è peccatorum vndis emergamur.

In reliquo omnia diſsident, quandoquidem is, qui baculum porrigit, pro lapſo neceſſario inclinatur, Deus autem non mouetur, deinde qui fuit auxilio diſcedit, at Deus in nobis ipſis per gratiam ſemper reſidet Pſal. 72. & 136. tenuiſti dexteram meam, & in brachio tuo deduxiſti me, ſic qui in terram cecidit non mouetur à baculo, ſed ipſe baculum apprehēdit, contra vero Deus ſua gratia male affectum, & errantem mouet, vt ſecum colloquatur, & ad medicum, atq; interceſſorem noſtrum confugiat ſolent etiam omnes labi, atq; reuolui videmus, non eo modo de gratia dicere poſſumus,

quoniam

quoniam Dei est eam largiri, aut adimere, qui liberrimus est sponte agens, non vt in cælo sol, aut in igne calor apparet, prætereà ad solis lumen quisq; adapertis oculis nascitur, ad gratiam verò omnibus offusæ sunt caligo, & tenebræ delicti, sol tantum illucet, est gratia, lumen affert, cohortatur, est auxilio ad bene agendum, Deus non solum interest, sed præest omnibus rebus, eas administrat, neq; tamen aliquid supra quàm eius fert conditio, aut status extollit, sed generali (vt vocant) influxu agit, hominem verò singulari quadam prouidentia tuetur, illi præsto est, eumq; peculiari studio supra conditionem suam euehit, Ioan. primo. beatum efficit, eundem sibi filium, instituens, non tamen eum propria natura exuit Iob. 4.

Veluti manus est gratia, quæ illi porrigitur, qui propter imbecillitatem uirium assurgere nequeat, Christus nobis eam offert, quo è strato moliciei, atque mundi huius miseriarum consurgamus, quod ipse in eo, qui morbo oblanguerat declarauit, cum inquit, tolle grabatum tuum, & ambula, Ioan. 5. & Matt. 2. & 6. non nouerat ille Christum, sed gratiæ hoc est munus, vt ducat ad Deum excitatus, se ad illius pietatem miro studio accendat, tamquam medicus ægrotum parat ad valetudinem, si eum

obse-

obſequentem habeat, ita gratia præueniens mentes, animos q; illuſtrat, ſi parere voluerit, nidus eſt tutiſsimus in itinere maxime periculoſo vitæ huius fraudibus, & iniquitatibus pleno, quod Hebræis ſignificatum fuit, ſub ſpecie columnæ igneæ noctis tempore oblatæ exod. 3. pſal. 98. ne illis celorum vis officeret, & magno conſtantiq; animo Dei adminiſtrationem, atq; aureum imperium ſubirent, gratia nos incēdit, illuſtrat, exhortatur, ab hoſtibus protegit, & ab iracundia Dei tutos reddit, interdum nubi comparatur, quemadmodum enim illa calorem retundit, ne ab eo vexemur, & operit, ac tuetur, ſic gratia in nobis agit, nimirum ab immunda luxuriæ inquinatione prohibens; Mari etiam ſimilis efficitur, vbi Hebreorum hoſtes ſemper obruti fuerunt, nam preſidio eius fulcti omnes inimicos ſuperabimus Exod: 14. & Pſal: 104. hoc ipſum ſerpens ille æneus Moyſi in deſerto tradirus, in quem quicunq; reſpexerunt, ſalui fiebant, nobis ſignificat. ſic nos gratiam per Ieſum intuentes omni labe expurgamur. Num. 21. Manna hæc eſt dulciſsima, qua Hebreus populus per tot annos in ſolitudine ſuſtentatur, omnem ſaporem referens, quandoquidem Hebreus in primis adheret, hoc eſt ijs qui Chriſtum inſtitutorem, ac ducem ſuum, neque ab eius voluntate

deflectunt exod: 26. & Psal: 77. cum præstantissimo interdum tractandorum equorum artifici confertur, qui freno,& calcaribus equum mouens indomitum, nunc eum aduersum impellit, nunc habenas comprimens, circumducit, iterq; demonstrat, at ipsa cupiditates hominum indomitas libertate regens, voluntates comprimit, & quid agendum sit, edocet, fidei etiam similis est, quæ nobis finem postremum, ad quem conatus nostri omnes vna cum libertate sunt conferendi, proponit.

Interdum quoq; spem imitatur, & in causa est, vt vere cum nostrarum tenuitatem consideramus, tum audacter ad summum illud bonum animum intendamus, omnia obstacula, omnes labores nihili facientes, aliquando etiam veluti charitas efficit, vt tanti Deum æstimemus, vt cetera nobis omnia præ illius præstantia, & bonitate sordeant, libertati ad finem suum ope fidei lumen præfert, iubens sperare excelsa, redditq; postremo diuino incensos amore credentes ad Dei cultum, ita affectos, vt per eam æterna fælicitate perfruantur, & quid aliud scalam Iacob. esse existimamus, quæ è terra in Cælum vsq; ferebat, angeli vero ipsam ascendebant, & descendebant Genes. 28. gratia enim nos Deo conciliat, atq; iungit, dum in terris degimus vn-

de

de Paul: ad Philip. 3. nostra conuersatio in Cœlis est, & illud: non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus ad Hebræ. 13. ministros nobis Angelos constituit, per quos desideria nostra, orationesq; Deo offeramus, & in bonum quæcunq; agimus vertant Psal. 30. & Iob. 72. huiusmodi ergo custodes, eos qui Deo confidunt, aduersus hostes suos tuentur, vt Daniel. 6: vnde factum est vt Antechristi aduentum homo in Abrahamo angelum coluerit, Genes. 18. post vero inceptam per Christum gratiam Angelus non passus est, tantum sibi honorem exiberi Apocal. x. ne feceris (inquit) conseruus enim tuus sum, & patrum tuorum, huius autem scala gradus, quid sunt aliud quàm virtutes, quibus anima dum libertate rectè vtitur, exornatur, Hinc fit, vt qui sibi gratiā comparauerit, humaniter se erga omnes gerit, & paulatim virtutes assequitur, neq; exiguas libertati vires affert gratia, sed in grauissimis periculis nos intrepidos reddit, in voluptatibus temperatos, in rebus animaaduertendis prudentes, in comercijs iustos, ac fidei obseruatores, spem nobis beatæ vitæ inijcit, atq; edocet, vt inimicos quoq; diligamus Christi exemplo, hoc perspici in latrone illo insigni cruci affixo potest. Luc: 23. qui Christum mole mise-

riarum

riarum propè obrutum Dei filium, atq; orbis terrarum redemptorem appellat, seipsum omnis culpæ reum fatetur, deniq; illi se totum commendat, atq; tradit, Hi sunt gratiæ exitus, hi fructus, vt spontè terrena ista despiciamus, nos ipsos agnoscamus Christum sequentes. Vale.

FERDINANDO MEDICES S. R. E. CARDINALI MVNIFICENTISSIMO

SPLENDIDISSIME PATER.

CVPIVNT nonnulli ſcire, quam libertatē Adamus peccādo perdidit; peccati, & miſeriarum reſpondent chatolici, non autem eam, quæ eſt neceſsitatis, & naturæ conſentanea, quamuis hæc quoq; imbecillis reddita fuerit, in eo videre poſſumus, quia peccatum aut eligeret, aut admiſerit, longè poſtea huic difficilius redditur, & cogitatio, & electio boni, nec dicatur hanc noſtram libertatē nobis vires tribuere, vt omnia efficere valeamus. Nempe ſunt nonnulla, ad quæ noſtra non pertinet libertas, qualia ſunt eá, quæ non ita efficere, vt velle poſſumus, repentinæ animaduerſiones, primi motus, & cætera huiuſ-

huiusmodi, quæ tamen etiam in libertatis nostræ potestate dici possunt, est enim in nobis situm nolle impoßibilia, sit nobis Cæcus exemplum, dum ait vellem videre, si possem, atq; ita excipere illa, quæ de improuiso accidissent, sponte debemus, quoniam voluntas animæ principatum tenere debet, & qua nam in re hominis libertas functionem habeat, & quod eius sit munus. Nempè ex his, quæ nos ipsi eligimus, libertas tantum est contingens, non potest fieri, aut ne fieri, hoc autem illud, sin autem istud arbitrium circa rerum cognitionem, & obiecta versatur, erit non modo futurorum, & contingentium, verum etiam præteritorum, & eorum quæ sunt necessaria.

Quid enim hominem prohibet sua libertate omnia intueri, quamuis facultatē non habeat, nisi contingentium, & cum ex hac vita migramus, anima corpus relinquit, quæ quoniam immortalis est, semper libertatem retinet, quod quidem, sicut iam diximus, intellectus, & voluntatis proprium est, & quemadmodum non amisit ignis caliditatem, nisi extinctus fuerit, ita dum viget animæ ratio, eam non relinquit libertas, sed vbicunquè homo fuerit, liberè agit, aut benè, aut malè sicut necesse est, ignem vbicunq; fuerit calorem suum emittere. Vale.

PROS-

PROSPERI DE S. CRVCE S. R. E. CARDINALI SPECTATISSIMO. S.

Amplißime Pater.

QVAERIT Hereticus, si sibi exploratum esset de salute sua, conuenit nè ipsum adhuc eniti, vt bene agat. Nulli dubium inquit Chatolicus nam, & æquitas, & officium vniuscuiusq; hoc suadet; quòd si filius periucundus aliquis, parenti existat, quem omnium bonorum suorum hæredem instituerit, nonnè quanto se ardentius amari videt, tātò paratiorem in imo esse debet ad ea præstanda, quæ tàm beneficio patri accepta fore cognoscit? contrà verò non existimabis iniustum, atq; ingratum, qui se hæredem institutum sciens, parentis mandata negligit, neq; tantum admittere indigna non debemus, sed pro virili adniti, vt quæ christiana iubet caritas, efficiamus, tàm enim in culpa est, qui

cum

cum pósit, non amouet, quàm qui iniuriam alteri infert, Accedit, quòd quò magis benefacimus, eò maior Dei gloria euadit, & ipsi ad eum propiores accedimus, vnde non parum diuina erga nos beneficia augentur.

Quid si sciat se fore perditum? adhuc rectè agendum est. demens est profectò, qui semel pro aliquo delicto pœnas dedit, si rursus in eandem incurrit, neq; cauet, propterea quòd iam ante mulctatus fuerit, sic in re proposita, quoniam pro grauioribus admissis seueriores cruciatus sunt perferendi, non modò erga ob id ipsum ad benemerita, quò lenius puniaris. Verè, & perditi hominis est de salute desperare, ideò bono, ac forti animo esse debet, atq; pro explorato habere, se inter electos adnumeratum iri, filium Dei per adoptionem, fratrem Iesu Christi esse factum, illaq; omnia gerere, quæ bonum, atq; obsequentem filium decet, Deum igitur tantum parentem summa veneratione complectatur, neq; tanquam debitum, sed vt dono datum sibi felicitatis locum expectet.

GA-

MICHAELI BONELLO S. R. E. CARDINALI RELIGIOSISSIMO.

Amplissime Pater.

TRES sunt hominis libertatis differentiæ, prior libertas est, à necessitate, quæ naturæ appellatur, secunda, à peccato, quæ gratiæ nominatur, Tertia, à miseria, quæ ad gloriam pertinet, quamobrem in ea quam primo loco posuimus boni, & mali homines versantur, in secunda boni tantum, in tertia vero omnes illi, qui in cœlesti patria degunt, vnde sequitur libertatem malorum (quia serui sunt peccati, & carent libertate gratiæ) vim esse quandam boni fugiendi, & malũ (si videtur) eligendi; in bonis autẽ, quia carent peccato, & possident gratiam, eadem libertas facultas est, & voluntas quædam viceuersa boni eligendi, & mali deuitandi; & quoniam ij

qui fœlicitate æterna potiuntur, longè maiori facilitate bona eligunt, atq; exequuntur, quoniã cum essent in corpore magis oderunt malum, hinc quoq; fit vt liberiores esse dicantur, Deum quoq; hac eadem ratione tantò amplius hominibus præstare dicimus, quantò perfectius, atq; absolutius est uirtutum omnium exemplar, quod etiam protrahendum est ad Angelos, atque homines, vt vnus alium in hac re superet, vt ad agendum, aut bene, aut male, plus minusuè affectus fuerit. Hinc sequitur damnatorum libertatem, cum ea tantummodo sit ad malum, nihil gratiæ in se retinere, quandoquidem illi in seruitute miseriarum constituti, bonum agere, aut cogitare nequeunt, eadem ratione monemur, cum beati omnes ad bonum intenti, malum nesciant, quòd, vt ij quoq; liberi, a culpa sint, miserijsq; soluti, viuant; neccesse est vnde fœlicitatis plenissima istorum libertas habetur, contrà vero, damnatorum infælicissima.

Ex his ergo colligamus triplicem esse vt diximus libertatem: in Deo præstantissima reperiri, quoniam his suapte natura inflexibilis est ad malum, liberrimus, iustissimus, ac sapientissimus, atq; adeò, vt mens humana rei magnitudine perterrita ipsius substantiam explicare nequeat Angeli vero libertas, & si hac inflexibilitate gaudeat,

quia

quia tamen, à Deo pendet gratiosa appellatur; postrema vero hominum malorum, cum nullo istorum modorum sit inflexibilis, reliquis deterior habetur. Igitur hucusq; vidimus dari gradus istius libertatis, non modo inter homines bonos, & malos, vt alij alijs sint liberiores, verum etiam inter Angelos, & Deum ipsum, & etiam quomodo differat libertas iam aperuimus, in quibusdam vero etiam absq; vllo discrimine fuisse legitur, vt in primis parentibus priusquam facinus admitterent, in alijs ad malum magisq; ad bonum exstitit, vt in omnibus Adami filijs per baptismum restitutis, alij nanq; ad bonum procliuiores fuerunt, vt Ieremias, & Ioan: quem adhuc in vtero matris emundatum fuisse legimus, alios propè necessario ad malum liberos esse videmus, quemadmodum Turcæ, & gentes, quæ Christum non recipiunt, qui ita degentes, aut benefacere, aut Deo accepti esse nequeunt, nonnullos animaduertere licet, propè necessario ad bonum propensos, quales Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum, & Maria Virgo ab eius vsq; conceptione exstitit, quosdam vero absolutè quodammodo ad malum liberos perspicimus, vt ad bonum ligatas habeant manus, vt damnati, etenim sponte bonum negligunt, neq; illud appetere possunt, cum amplius in er-

 roris

roris itinere non vagantur, sed in iniquitia habitent, ex qua promereri nequeunt, quare benè agere prohibentur, contrà, beatos dicimus libere, ac necessariò ita ad bonum sequendum, vt ad fugiendum malum procliues, atq; ij spontè rectè agunt, Deus autem suapte ingenio non extrinseco aliquo impulsu, optime semper agit, ideoq; fœlicissima, atq; absolutissima est ipsius libertas, omnia seipsum intuendo intelligit, errare non potest, aut falli, omnia illi sunt præsentia, omnia aperta, neq; fieri potest, vt non optima semper eligat. Vale.

GABRIELI PALEOTTO

S. R. E. CARDINALI ELOQVENTISSIMO. S.

QVERIT Curiosus scire, quid sibi Paulus velit. 2. ad Timot. cap. 2. vbi ait, in magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed, & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam, quorum autem verborum pius hic est sensus.

In vni-

In vniuerſo terrarum orbe , quamplurimi ſunt incolæ, alij amore, & caritate flagrantes, illuſtres fide, alijsq; virtutibus induti: alij vero nulla beneuolentia, nulla humanitate tenentur; quibus nulla fides eſt, nulla religio, ita deniq; affecti, vt natura ipſa non docti, ſed facti ad omne vitiorum genus videantur, quòd ſi vaſa, illam, aut illam conditionem habent, dicendum eſt ab aliquo effecta fuiſſe, nempe à Deo rerum omnium auctore, quomodo ergo capitur Pauli pronunciatum.

Recte quidem intelligitur initium exempli, vaſa nanq; aurea, & argentea, bonis, & integræ vitæ hominibus, fictilia autem, & lignea malis, & perditis æquiparantur, ſed aduertere oportet, Deum immortalem, primum illum omnium Parentem Adamum verè aureum, hoc eſt omnibus propè bonis exornatum condidiſſe, quandoquidem ſui conditoris adeo ſimilis extitit, vt nihil aliud inter Deum, & hominem intereſſet, quàm præceptum illud, atq; interdictum prohibiti mali, ecce verò tranſgreditur miſer, atq; infelix præſcriptam ſibi normam, vnde priſtinum ſplendorem, & gratiam omnem amittit, atq; ex vaſe aureo, ligneum, ac fictile euadit, neq; ipſi tantùm hoc accidit, ſed omnis poſteritas in eundem errorem vna infecta labe

ſecum

ſecum trahitur, quam rem animaduertens clementiſsimus Deus, quò reſtitueret, ac repararet humanum genus prolapſum, vnigenitum ſibi filium nobis interceſſorem miſit, qui baptiſmi, & cæterorum ſacramentorum ope, nos in priſtinum ſtatum reſtituat; atq; hoc eſt inter vaſa, & homines diſcrimen, quòd cum ea ſenſu careant, ſemel efficta, aut fracta, mutari, aut reparari nequeunt, homo autem, quoniam rationis, & libertatis eſt particeps, quamuis Deo ingratus, ac vitijs obrutus fuerit, nihilominus ſi ad Chriſtum eiuſq; miſteria confugiat, amiſſam gratiam recuperabit. Adami quidem dilecti filij iræ in hanc lucem prodimus, verùm per Baptiſmum Deo reconciliamur, quo accepto rurſus labimur, atq; ita a Deo abſcedimus, & ipſi nobis miſeriam conditionem efficimus, quos Deus ſui ſimiles, eſſe voluit.

IVLIO ANTONIO SANCTORIO S. R. E. CARDINALI EMINENTISSIMO S.

Amplissime Pater.

QVAERIT curiosus, quid si quis euangelij ministrator sibi de sua salute affirmet, est ne audiendus? Respondetur, quòd si etiam prophæta, si Paulus ipse, aut quispiam angelus istud, aut oppositum eius testetur, non est habenda fides ei, & ratio est, quoniam Deus in his, semper sub conditione loquitur, quæ vt euenerint, ita multiplicem sortientur exitum, quod etiam Deus ipse significat. Ezech. 33. etiam si dixero iusto, quòd vita viuet, & confisus in iustitia sua iniquitatem fecerit, omnes iustitiæ suæ obliuioni tradentur, & in iniustitia sua, quam operatus est, morietur, si autem dixero impio morte morieris, & egerit pænitentiam, peccata non imputabuntur

tur ei, hoc loci (vt intelligat) sua iustitia, aut iniustitia vnumquemq; sequitur, & quamuis Deus aliquando, dum aliquid minatur, conditionem istam reticeat, nihilominus ea semper subauditur, quemadmodum exempli causa, Ionas mittitur ad Niniuitas, his mandatis quadraginta adhuc dies supersunt, & Niniuè subuertetur, hoc est nisi eam admissorum pænitebit, vt postea compertum est, non enim euersa fuit ciuitas, propterea quod in luctu, ac mærore, Deum præcata est, vt conceptam iram ab se auerteret, descendit Rex è solio, & in cinere sedens, ædicto per triduum vnumquemq; a cibo abstinere iusit, atq; ita veniam consecutus est. Ion. 3.

Quamobrem, si iniquitates nostras deleri cupimus, præclarissimæ illius Ciuitatis exemplum imitemur, nihil intentatum Deus relinquit, vt omnes in cælestem patriam perducat, cur illi obstamus, cur aduersus illius vocationes reclamamus, planè nisi per nos steterit, electi sumus, ieiunio, ac præcibus Niniuitum Deus placatur, cur non etiam lachrimis, & ieiunio nostro permouebitur? totus clemens est, atq; benignus, non feret gemitus, non sinet se frustra rogari, ieiunent igitur oculi, cesset lingua a maledictis, abstineant manus, inania atq; inhonesta non recipiant aures, cor in primis mundum

dum esto, ne cogitationes, aut immundas, aut impias admittat; postremò totum corpus ita rationi subiaceat, vt quicquid ipsa imperauerit statim exequatur, atq; hoc est brutis animantibus cibum subtrahere, omnes sensus ad Dei gloriam conuertere, suspiciant oculi cœlum, conditoris sui opus, celebret lingua ipsius omnipotentiam, sint promptæ manus ad libertatem, ad iustitiam, vigeat deniq; totum corpus, ne in singulis immoremur, & seipsum, in omnibus virtutibus exerceat. Age vestimenta huius inquinatæ vitæ discindamus, veterem hominem exuentes, operiamus nos sacco, hoc est demittamus animum aliquando, & quid, qualisq; hæc vita nostra sit, consideremus, abiectum est certe nostri corporis initium, nempè terreum, ac fragile, medium quid aliud quàm infirmitas, & morbus; exitus ipsa immundicies, Animus verò, quem a Deo mundum, ac nitidum accepimus, ipsum suprà carbones, vt ait Prophæta denigrauimus, non animaduertentes aliquando esse moriendum, quod si fieret, vtiq; nemo a lacrymis, ac luctu abstineret, nam his Deum erga nos pacatum, ac misericordem reddimus, vt. 2. Parali. 32, & Esai. 38. Eccles. 48. legitur, vbi Deus Esaiam ad regem mittit Ezechiam, qui nunciaret, properè illi esse moriendum, proin

 domum

domum pararet; quod audiens Rex acriter flere cepit. vnde factum est, vt a Deo veniam impetraret, itaq; reuocat Dominus Esaiam, non dum regiam egressum iubetq; renuntiari regi, se illius præcibus motum, mortem eius in aliud tempus distulisse, neq; amplius regnum in Assiriorum manus peruenturum, tùm prophæta in edocuit, quo pacto illi sanitatem restitueret, adhibe (inquit) contusos ficos vlceri, & statim coualescet; nam post tertium ab hinc diem, velim ipsum ad templum proficisci, atq; ibi suas offerre præces, & vt fidem promissis adhibeat, Horologium Achab decem gradibus retro cessurum narrato.

Quo exemplo sanè pulcherrimo, qualis vita hominis esse debeat, nobis Deus proponit, ecquid aliud significare censemus, regem in lecto iacentem, morbo affectum, nisi animum admissorū pondere prægrauatum? hunc Dei iussu, visum prophætæ, hoc est vocationes, intus forisq; percutientes, Euangelij prædicatio, molestiæ, & solicitudines, quibus non raro impetimur; quid aliud sunt, quàm diuinæ voces? hæ nos inuitant, vt morituri domum nostram inspiciamus, nimirum conscientiam ipsam, & conuersi ad parietem, scilicet ad scælera perpetrata lugeamus, & cum gemitu, & lachrimis De-

um

um a nobis abalienatum placemus, quoniam peccata nostra diuiserunt inter nos, & Deum nostrum; Esa. 59. conuertamur oculos; ad admirabilem Christi humanitatem; ea paries est tutissimus, in quem omnes admissæ culpæ, omnes iniquitates impegerunt. vbi enim in mœrore versabimur, Deus aderit, & Regni Cœlorum cui destinati sumus, nos tutos reddet. Hinc ait se nolle mortem alicuius, sed vt viuat cupere, Tribus vero exactis diebus ad templum proficisci oportere, æquum dolorem, & mestitiam ob malo actam vitam nos perspicere, eamq; accusare; tum in omnibus diuina voluntate satisfacere declarat, si modo Deo grati, atq; iucundi esse cupimus; Præterea gradus Horologij retro acti, decem præcepta, quæ ipsi excessimus, significant, in suum postea locum restituitur, vt Dei mandata ad vnguem obseruare discamus.

HIERONYMO RVSTICVTIO S. R. E. CARDINALI PRVDENTISSIMO S.

Amplissime Pater.

AEQVISSIMVM sanè fuit triplici ratione hominem ita liberum componi, in primis quantùm ad Deum, secundò quantùm ad hominem, tertiò quantùm ad mundum vniuersum, cuius causa homo compositus fuit, pertinet, quoniam Deus Optimus Maximus, cum suam bonitatem, potestatem, atq; sapientiam incredibilem patefacere vellet, hominem creauit, qui perfectus absq; libertate nunquam extitisset, nec minus in hac creatione Deus admirabilis perspicitur, quàm in Angelis procreandis, quàm in Cælis, atq; elementis constituendis, aut vllis alijs actionibus, quibus non est qui resistat, scriptum est enim, dixitq; Deus, fiat lux, & facta est lux, & cætera Genes. primo, ad eundem ad vitam facilimè mortuos reuocat verbo, vel sola voluntate

Mat.

Mat. xxvij. Luc. vij. & Ioan. xij. at verò hominis conuersio propter liberam naturæ conditionem, non paruum sæpe Deo summo negotiũ exhibuit, hanc ob causam Christi orationes, tam ardentes, gemitus quoq;, & lacrymas legimus, propter duritiem (inquit) & cæcitatem cordis dilecti populi, quem ad se conuertere discupiebat, labores pro eo subijt, frigus, famem, & sitim, deniq; mortem ipsam pertulit. Ioan. xviiij. atq; hoc est, quod ait Hierusalem, Hierusalem, quoties volui congregare pullos tuos, quemadmodum Gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. Mat. xxiij. Luc. xiij. & Esai. Lxvij. hoc idem conquæritur tota die expandi manus meas, postremò Christus ad se ipsum populos vertens, vt relictis huius vitæ, commodis solitudines quærerent, paupertatem, ieiunia, & flætus sequerentur, quid aliud hoc est, quàm diuinam patefacere potentiam, atq; eò magis, hoc ipsum dificilimum per humiles, atq; abiectos homines ministros suos effecerit, sapientia itidem æterni Patris, non alia in re fit apertior, neq; enim cæli ornatus, tot splendidissimis Luminibus effulgens, non vniuersa tellus, tot generibus animantium referta, tanta herbarum, atq; arborum copia, non modò tam admirabili artificio terras alluens, non cætera

om-

omnia, quæ aut ad pulchritudinem, aut ad necessitatem, vsumq; hominum procreata fuerunt, quidquàm difficultatis Deo attulerunt, Genes. vij. at vero si hominem conuertere ad se ipsum voluit, medicamenta ad morbum idonea nouisse oportuit, locum, tempus, rationem, & armorum, quod satis est, ad expugnandum voluntatem, ad expellendas prauas cupiditates, vnaq; simul generis, tam sapientem, ac ferocem hostem expugnandum. Iustitia quoq; cœlestis Patris in hominis negocio declaratur, cum summa prouidentia coniuncta, etenim dum homo à Deo discedit, vt suas cupiditates sequatur, Patrem Deum, atq; auctorem vitæ negligit, tùm ad se ipsum rediens errorem agnoscit, quàm maximas Deo gratias agit, quòd eius auxilio fuit seruatus. Vides ergo Antistes sapientissime, quid ista efficiat libertas, profectò nisi ita creatus esset secundum naturam, bene aut male agere, nulla aut laude, aut pœna dignus haberetur, quemadmodum nemo solem laudat, quòd ita fulgeat, aut ignem, quòd confragrat, sunt enim Dei immortalis beneficio illa præditi virtute. Nemo quòd secundo posuimus, Hominem inquam inter ignem, & aquam constitutũ vtriusq; naturæ participem esse oportet, tanquàm extremorum, hinc ira, illinc quies nobis aduenit,

eodem

eodē pacto, cum medius esse debeat, inter Angelos, & inferiora animalia, vtriusq; naturā participare quodamodo dicitur ratione igitur animi, & voluntatis, diuinū est animal homo, corpus cum brutis commune habet, ex quatuor elementis, mixtum, atq; compositum, atq; his duabus partibus, cum homo constet, terrenum quod est sensibus subiacet, ast animus libero praeditus arbitrio, Angelorum simillimus habetur, quamuis ipsorum natura sit animo humano præstantior.

Rationē ipsius hominis explicemus necesse est, hoc ipsum itaq; scire debes, tùm demum esse nos homines, cum animus corpori iunctus fuerit, alioqui, neuter per se hoc nomine appellari poterit, ita quoq; intelligas prudentissime Præsul, oportet animum, non fore animum, nisi intellectu, & voluntate proprijs (vt appellant) potentijs præditus fuerit, intellectus vero arbitrium, siue facultatem cognoscendi habeat, ratiocinandi, ac concludendi illud ipsum, quod sibi eligendum proposuit, oportet, Iam vero neq; voluntas rectè se habebit, nisi quod sibi propriū est habuerit, videlicet, vt liberè, & spontè agat, aut omittat, quod illi intellectus proponit, vnde sequitur, vt si liberū ex animi viribus demamus arbitriū, nos demoliri, atq; euertere virtutes animi, immo animā ipsam, qua destitutus homo pereat necesse est. Vale.

IO-

IOANNI HIERONYMO ALBANO S. R. E. CARDINALI IVRISTARVM PRINCIPI. S.

AMPLISSIME Pater. fatuum est dicere Deum libertatem homini auferre posse. Nempe quis Deum, vel homines ipsos in lapides, si ita videatur conuertere posse, non credat, quin etiam sicut eum ex nihilo creauit, ita illum ipsum redigere, illi facilimus esset, quo pacto, quid libertate opus esset, sed cum ex animo, & corpore constemus, necessario reperitur, vt suis anima virtutibus roboretur, hoc est intellectu, & voluntate, atq; inter has sua enitere debet libertas, atq; enim alio pacto homo fieri non posset, si diuinæ potentiæ ordinem inspiciamus. Et si naturæ ordinem sequamur, profectò non poterat creari homo cuius natura in humana non versaretur fragilitate. Aliud enim quidpiam expressum

fuisset, non homo, sin verò secundum gratiam Loquimur; nullum dubium hominem hac ipsa libertate talem constitui potuisse erga Dei voluntatem, vt aberrare nequiuisset, & hoc inquàm, non naturale esset homini, sed diuinitùs traditum, Deo igitur placuit, ita liberæ conditionis hominem componere, vt his dotibus, quæ ipsi a diuina bonitate attributæ sunt, dignè tantæ maiestati seruire, & postremò in cælis perpetua frui fœlicitate ualeret, aut erga Deum obsequia prætermittens sensibusq; adherendo verè cognoscat se miserum, atq; infælicem perpetuo futurum.

Vale.

IOANNI ANTONIO FACHINETTO S. R. E. CARDINALI GRAVISSIMO. S.

Amplissime Pater.

CVPIT scire Hereticus, an potest homo pulchritudinem animæ suæ culpa amissam vllo modo adipisci? Respondit Chatolicus, nequaquàm

nis viribus quemadmodum, enim vnusquisq; sibi oculum eruere, aut sibi manus incidere potest, at lumen, aut vitam resumere, non est in nobis positum, opus est igitur primum diuino auxilio, si tantam iacturam resarcire cupimus, deinde voluntas nostra requiritur, vt quemadmodum turpi flagitiorum genere delectatus es, ita etiam doleas, præterita detesteris, & quemadmodum momentanea sequutus es, ita ab illis abhorreas, & te ipsum totum voluntati diuinæ offeras, sicuti pulcherrime Paul. monet, si quis autem emendauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile domino, ad omne bonum opus paratum, quod sanè nullo modo fieri posset, si tam immunda vasa Deus condidisset, sed quoniam ab homine immunditiæs proficiscitur, hac de causa expurgari, atq; emundari potest. ideo Paul. sequitur modum dicens, iuuenilia fuge desideria, sectare Iustitiam, Fidem, Spem, Caritatem, & Pacem, cum his, qui inuocant Deum, quæ omnia paraueris, si sensum, & voluntatem rationi subieceris, omniaq; huius mundi oblectamenta deuitaueris. Sacramentorum demum frequentia in huiusmodi pulcritudine, & honestate homo constituitur.

IOANNI BAPTISTAE CASTANEO

S. R. E. CARDINALI SAPIENTISSIMO. S.

Amplissime Pater.

CVPIT scire Hereticus, quid sibi vult Paulus, dum ait, cognouit dominus, qui sunt sui 2. ad Timot. 2. & omnia sustinebo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, eodem capite; & Christus oues meæ vocem meam audiunt. Ioan. & qui ex Deo est, verba Dei audit, Ioan. 8. Respondit catolicus. Sexcentos in Sacris litteris locos inuenimus, quos omnes optimè explicabimus, illo adhibito voluntatum discrimine, de quo in superioribus iam satis superq; qualo illud est, Deus omnes saluos velle, verum est, quantum ad præcedentem volunta-tem attinet, qua de causa erit (inquit) vnum ouile, & vnus Pastor, vnus Baptismus, vna Fides, vnus mediator Christus Iesus. Hinc ergo

colliget, coniunctionem, atq; (vt vocant) voluntatem à diuina voluntate procedere, Deus namq; omnium mitissimus Parens, omnes obsequentes cuperet filios, è conuerso autem discrepantia illa bonorum, & malorum a sola hominum voluntate proficisci, atq; hoc pacto tàm pugnantes sententias conciliauerit, animaduertendum est enim nonnulla respicere electionem,& præcognitionē, non in ipso initio, quod est diuina voluntas, sed in ordine ad finem, atq; affectum eiusdem præscientiæ, quæ quidem cœli est hæreditas, quam non omnibus donat Sapientissimus Deus, quoniam non omnes viam mandatorum sunt sequuti. Vnde scriptum Legimus deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur; & omnes qui aberrarunt hædi appellantur; suos autem dominus oues vocat: quare locos Paul. præcitatos, & alios huiusmodi inteligere debet, vt de præelectione initio loquantur, hoc est quantum ad Dei voluntatem præcedentem, quam rem totam pulcherrime. Paul. explicat ad Rom. 9. efficit figulus (inquit) ex eadem materia diuersa vasa alia ad argentum, aurum, gemmas resq; alias cariores continendas, alia ad excipiendas sordes, ac purgamenta, nullum tamen illorum facultatē habet conquærendi aduersus conditorem,

tem, quod ea ita effinxerit, innuens Dei Filium esse artificem, cui omnis data fuit in humanum genus potestas in manuq; ipsius est hunc totum bonum, alium vero omnibus vitijs instructum efficere, illi Cœlum dono dare, hunc in profundum detrudere, neq; alicui erit, quod doleat, aut Deum accuset. voluntati eius quis resistit? ò homo quis tu es respondens Deo? & quæ sequuntur.

Hoc exemplo Paul. vtitur, non vt omnino commoneat figulo Christum similem esse, verum vt perterrere faciat Romanos, quicquam aduersus Deum cogitandi, iam enim sibi plus nimio ciuitas illa tribuebat, vt prædicationi Euangelij non acquiesceret; Vult igitur Paulus audaciam retundere, ne quid se ipsam extollat, cæterum longè diuersa ratione Deus, & artifex agunt, ille enim omnes ad honorem, ad gratiam procreat; hic autem vas, efficit, atq; illud humilip, atq; abiecto ministerio destinabit, non ita Deus, quamuis enim multæ hominum conditiones, varij sint status, nihilominus suam omnibus impertitur gratiam, cunctos ad summam fælicitatem vocat, neq; vlli causa est perditionis. potest sanè inquit Paulus figulum imitari Deus, verùm non facit, quoniam est optimus maximus.

ANTO-

ANTONIO MARIAE SALVIATO

S. R. E. CARDINALI ADMIRABILI. S.

Amplissime Pater,

INQVIT Hereticus, Deum omnes saluos velle, & cupere, & quando hoc est futurum? Durum enim videtur, quoniam nihil coinquinatum ingredi cœlum potest, tot perditos homines seruari, quod nisi seruandi sint, nihilominus omnes vult Deus, ergo leuitas, & inconstantia erit in Deo, quoniam modò omnes vult, modò aliquos tantùm excipit, & tamen se immutabilé ait Malach. 3. Ego Deus, & non mutor; Respondit Catholicus inquiens, verè Prophæta loquitur, quia non mutatur Deus, sed ipsæ cogitationes, desideria hominum immutantur: vt instar firmissimæ columnæ medijs in fluctibus constitutæ est Deus, perturbantur vndæ, hinc atque hinc columnam petunt, ipsa pænitus immobilis nulla

impulsa, nulla vi, aut conuulsio, aut egritudine moueri potest, quòd vt clarius etiam intelligat, aliud exemplum offerimus.

Princeps quidam lege cauit, ne quis Christi nomen sanctissimum detestetur, qui secus fecerit, ait lex, aut bona, quæ delinquens habuit omnia publicentur, aut ipse per quadriennium triremi destinetur. Vnus depræhenditur, qui veritus, cruciatus, & tormenta, quæ sic addicti homines patiuntur, mutata sententia fortunis omnibus spoliari petit. quis hic obsecro mutatur? verba legis sunt eadem tabulis æneis incisa, hæc princeps seruari iubet, reum igitur mutari vides, sic in re proposita, errantium conditiones mutantur, immobilis Deus semper existit, legem æternam, atq; immutabilem condidit, in hanc sententiam, illi omnes seruabuntur, qui cum Christo fuerint, eumq; sequentur, & ad finem vsq; in proposito permanserint, qui secus fecerit, pro hoste illum habebit, & hic tria sunt animaduertenda.

Primum voluntatem diuinam esse, vt omnes seruentur.

Secundum est, hæreditatem cælestis policitam fuisse Deum, qui Christum sequuti fuerint.

Tertium est, Christum sibi proposuisse eos omnes è cœlo expellere, qui ab eo non steterint.

Quæ

Quæ leges æternæ sunt, atq; immutabiles? igitur Deum omnes eligere, non tamen omnes seruare non dedecet, aliud est enim eligere, aliud munere aliquem ornare; præterea non absolutè Deus eligit, sed ita vt si bi boni fuerimus, nobis cælum donet, sin mali eosdem in perpetuas detrudat tenebras, vnicuiq; igitur promissa præstabit Deus, neq; tantillum quidem voluntas eius immutabitur, quamuis ipsi centies in horas mutemur.

AVGVSTINO VALERIO S. R. E. CARDINALI ELEGANTISSIMO. S.

Amplissime Pater.

QVID si aliquis tam perditus reperiatur, qui coniungi Deo nolit, & omnia religiosa, & iusta persequatur, neq; gratiam neq; Christi vlla merita excipiat, nullam Dei gloriam agnoscat, quę hunc exitū consequuturū, Quærit Hereticus.

Pesi-

Pessimum sanè, quis hoc non videt? si enim Christus suas oues vita donat Ioannis x. & ego vitam æternam do eis, & in æternum non peribunt: ita etiam cruciatus, tormenta, mortem, denique illis ostendit, qui ab eo discederent. Matt. 25. qui bona egerunt, ibunt in vitam, qui verò mala in ignem æternum. nam vt Paul. testatur ad Rom. 2. qui reddet vnicuique secundum opera sua: ijs quidem, qui secundum perseuerantiam in bono opere gloriam, & honorem, quærunt; vitam æternam, ijs autem qui sunt ex contentione & cætera. Et si dicat Hereticus. Verumtamen hic pessimus Deo notissimus erat, priusquam conderetur. Nulli dubium, nam Deus sapientissimi intuendo, omnia videt, quæ incorrupta atque integra creauit, eoque ipso diuinitatis lumine actiones nostras contemplatur, omnia sunt illi aperta, quòd si vel tantulam rem ignoraret, vtique Deus non esset, quoniam esset circa ipsum aliqua ignorantia contingeret. Amplius autem, cum illi perspicue cogitationes nostræ appareant, semper solicitus est, quo pacto eas ex animo vniuscuiusque dimoueat. Et si Deus hunc miserum forobonore, sicut ipsum creauit, nonne multo melius fuisset, non statim fuisse? mouet Hæreticus inquiens, agitur Deus bonos, & miseri istius desidium: poterit ergo alter, atque audebit idem

um reprehendere? Respondetur, quòd nullam habet homo aduersus Deum quærendi causam, ratio hæc est, quoniam si quis male agit, nulla est in Deo culpa, integrum est homini veram maluerit viam arripere, quid aliud à Deo quàm bonum accipit? nam in ipsis etiam hominibus creandis liberalitate erga suos inimicos vtitur. Neq; verò æquum est, Deum à beneficentia desistere, quòd eam in malam partem homo conuertat, secus verò Deus prauas hominum actiones sequi videretur, & à bene agendo amoueri, quoniam nos mali esse velimus. Præterea in Dei gloriam reuertitur huius creatio, quandoquidem nisi, vt filius Deum agnoscet saltem vel hostis in perferenda eius ira, diuina iustitia illustrabitur, atq; hoc ipsum bonis causam præbet, vt in dies meliores reddantur, & quamuis innumeris cruciatibus afficiantur, nihilominus quoquo modo creatum esse præstat, quòd si legis Matth. 14. melius erat huic, si natus non fuisset, intellige, vt Christus de secunda natiuitate loquatur, præstantius inquit Iudæ fuerat in ventre mori, sic enim cælesti tantum patria priuatus extitisset, nunc autem, non modo fælicitate non donabitur, sed tormẽta omnia ille cum miseris perpetuo erunt perferenda; quòd si queris, num melius sit omnia damnatorum tormenta sustinere,

nere, quàm omnino non esse: Respondeo, leuiores esse omnes pœnas, (culpa excepta) bene igitur actum foret pro Iuda proditore, si natus non fuisset vllo modo, postquam occubuit, nunquam quieturus, nulla tanti facinoris petita venia; sic ergo vt dicebamus, quò ad Dei gloriam, & nostram vtilitatem expedit homines creari, quamuis multi non sint seruandi; in hoc enim magnus innotescit Dei amor, & prouidentia erga genus humanū; vt qui vnumquemq; vocare non desistat miris modis, cui libertas nostra sæpissimè obsistit, adeo vt quod ipse velle, effici nequeat, veruntamen, tam initio, quàm medio tempore, atq; exitu vitæ nostræ Dei bonitatem, & misericordiam experimur.

Aliam affere possum rationem, quare & bonos, & malos creauerit Deus, ea est huiusmodi, ne quod instituerat, rursus immutaret, qua in re animaduertendum est, quòd cum diuina voluntas aliquid faciendum suscepit, tùm decreuisse dicitur, atq; apud animum statuisse quid nam futurum sit; quoniam verò ipsa vnà cum intellectu diuino Regni Cœlestis omnes hæredes eligit, statuisse dicimus in orbe terrarum homines collocare, in ipsa autem electione naturam tantum illorum, quos eligebat respexit, quam seipsam comprehendere posse cognouit, & quoniam

 homi-

homines atque, vel Angelos. Deus enim percipere po-
tentes, viros elegit. Hinc electionis effectum
intellectus prospiciens voluntatem rogauit, dam-
num ne esset. istud regnum [illegible] hominibus [illegible]
voluntas, minime gentium impulit, [illegible]
tum qui [illegible] Christo [illegible]
voluerint, ad quid igitur [illegible] chari-
[illegible] non [illegible] omnes
elegerint, [illegible]
volui, neque [illegible]
est, quos [illegible] habe-
sufficiat: qui vero se ipsos perdere voluerint, sibi
imputent, temeritatisque suae poenas luant. Ac-
cipe; & tertiam rationem, cur Deus malos crea-
uerit, quoniam eius bonitatis proprium est, ac
sapientiae, vt e summis etiam malis bonum
eliciat: praeuidit ipse Adami lapsum, nihilomi-
nus quoque quantaque eius creatione manarint, qua-
nemque potentiam, ac maiestatem suam Deus
non declarasset, nec pulcherrimum hunc orna-
tum, quem mundum appellamus, non condidis-
set, De arcana non intellexissent homines, Io-
sephus a fratribus nunquam diuenditus fuisset,
nisi eos, quoniam mali cogniti fuissent, Deus
protulisset, nemo eos coegisset in Egyptum tran-
sire, non ibi eorum numerus auctus esset, non
tot tamque multa a Pharaone pertulissent

non

non missus esset a Deo Moyses vt eos liberaret; decem illa admiranda prodigia in eadem regione minime visa essent, non mare rubrum apertum, non eo tot Egyptiorum millia obruta fuissent, non manna populum suum per tot annos in solitudine sustentasset, neq; tot signis, & victorijs promissam Patribus terram ingressus esset, Christus denique totius orbis saluator nunquam hominum miserijs se subiecisset, tot labores perferendo, contumelias, verbera, cruciatus, mortem in Crucis acerbissimam; vt omnes redimeret; quæ tamen absq; proditoris, & Iudeorum opera minime effecisset, neq; etiam deuicta morte triumphans surrexisset, inde tanta intuentium admiratione Cælum non ascendisset, quo nobis omnibus ad salutem iter aperiret, quid? Spiritum Sanctum in nuncios, ac prædicatores sui Euangelij quo pacto effudisset; vt illius ope vniuersus terrarum orbis Christum mediatorem inter Deum, & homines cognosceret? Habetur ergo optimum fuisse pluribus de caussis, eos creari, qui nunquam salutem consequentur. Vale.

VINCENTIO
LAVRO
S. R. E. CARDINALI
SCIENTISSIMO.

Amplissime Pater.

OMNES diuinæ intelligentiæ noti sumus, ergo omnes seruabimur, inclinat Hereticus inquiens Dei cognitionem aberrare non posse; sed nos dicimus, non sequitur; omnes Deus (quoniam illi omnia sunt præsentia) cognoscit, ergo omnibus debetur ipsa Regni Cœlorum hereditas, nam multos ipse Deus in se ipso cognoscit, qui tamen in beatorum numero nunquam reponentur, quid enim prohibet optimum Patrem, si decem, aut plures liberos habeat, aliquos tanquam ingratos exheredare, alios autem instituere, nec dicat Hereticus, Deus vult omnes saluos, omnes elegit, ergo consequenter omnes necessario esse seruandos ex Pauli pronunciato 2. ad Thimot. 1. Deus vult &c. Luc. 5. venit filius hominis saluum facere, quod perierat. Nempè

in hoc

in hoc dicto subest fallacia; quoniam argumentatur Hereticus à voluntate Dei, quæ præcedit, assumens eam, quæ consequitur, autq; hæc longe diuersa est ab antecedenti, in eo quod vult, quamuis vna sit voluntas, nam priori nos elegit, animum mentemq; largitur, & cætera à quibus ad salutem contendere possumus, posteriori verò voluntate finem, quibus visum est, largitur, altera absolute nos eligit, altera fælicitate nos donat, perpetua vero non absolute, non absq; conditione, sed ita si vis ad vitam ingredi, serua mandata, & ab actu libero ad conditionem non valet argumentum; nos vero Chatolici concludimus, Deum absolute omnes pro filijs ducere non autem omnes instituere est animus; sed si se pro veris filijs parendò mandatis erga tantum gesserimus Parentem. Vale.

PHI-

PHILIPPO VASTAVILLANO S. R. E. CARDINALI CELEBERRIMO. S.

Amplissime Pater.

FATENDUM inquit Hereticus, Deum omnes velle seruari per Christum, quemadmodum illi, qui sub lege ante aduentum vixerunt (Abraham, Isaac, Iacob, & Prophetæ, Deo acceptissimi, ad vnum omnes seruati sunt) Ita res se habet, verùm fides eorum erga Christum præfulgebat, illi, ne aberrarent, caritate accensi Christum intuebantur futurum, in quo vno spes illorum vniuersa quiescebat. Oportuit enim totius mundi redemptorem non esse ignotum ijs, qui erant seruandi, quare non desistit Deus passim eius vnigeniti cognitionem immittere, quam primum omnium Adam assecutus est, Genes.
3 In semine tuo benedicentur omnes gentes, quod & ouium pelles, quibus magnus ille parens, opertus fuit, significabant. Hinc Moysi, &

Pro-

Prophetis filij Dei aduentus aperitur. Ioann. 5. ſcrutamini ſcripturas, illæ ſunt, quæ teſtimonium de me perhibent, & alibi. ſi Moyſi crederetis, vtiq; mihi fidem haberetis, quoniam ille de me ſcripſit, & Luc. 24. ſcribitur. & interpratabatur illis ſcripturas, quæ de ipſo loquerentur. & Matt. 26. quomodo ergo implebuntur ſcripturæ, quòd ſic oportet fieri. Nec dicat Hereticus nemo igitur vllo tempore ſaluus fieri potuit, niſi per fidem ergà Chriſtum. Reſpondit Chatolicus inquiens. omnes iterum naſci, & ad vitam excitari oportuit, cum primi parentis clade, & mortui, & perditi eſſent, veruntamē nō tā multæ gentes, credere quàm Hebræus populus debebāt, propterea quòd longè plura Hebræi de Chriſto, quàm gentes acceperant, quamuis mediator vnus ſit, inter Deum, & homines Chriſtus Ieſus prima ad Timot.

SCIPIONI LANCELOTTO S. R. E. CARDINALI ERVDITISSIMO. S.

Amplisſime Pater.

QVAERIT Hereticus, vnde hoc, quòd cum Iacob, & Eſau a Deo ſint dilecti, & Deus vtrumq; elegit, quomodo non ambo ſeruati ſunt? Paulus hoc ipſum, quod quærit Hereticus explicat ad Timot. prima 2. vult Deus (inquit) omnes homines ſaluos fieri, audi quæ ſequuntur, & ad cognitionem veritatis venire, Dei igitur voluntas, qua omnes vult ſaluos facere, omnes eligit, antecedens appellatur, hac voluntate nos tamquã filios ad cæleſtem parat hæreditatem, quemadmodum ille pater, qui cum nondum vxorem duxerit, tamen de relinquenda filijs, quos ſuſcipiet, hæreditate cogitat, nequaquam autem hic concurrit conſequens voluntas, quoniam ea merita proſequitur, alioqui quod ipſe exiſtimat conſequeretur, omnes videlicet neceſſario electos

fore

fore seruandos, sed ista posteriori voluntate iustissime Deus omnium animarum delectum habet, sicuti omnes elegit, cælumq; ijs omnibus, qui Christum mediatorem, atq; intercessorem exceperunt, largitur, qui autem reiecerit subsequenti voluntate, eos ipsos ad tartara deijciet. Munus ergo præstantissimum est, omnes homines Dei filios ascitos, ipsorum verò culpa eueniet, si qui exhæredes fient, neq; absurdum est, omnes esse electos, non tamen omnes seruari; quemadmodum enim Deus libere eligit, ita in nobis est, aut sequi illam electionem, aut aliò tendere, qui ab eo itinere, quod Christus omnibus aperuit, non deflexerit, is profectò ad salutis portum perducetur.

ALEXANDRO DE MONTEALTO S. R. E. CARDINALI SERENISSIMO. S.

AMPLISSIME Pater. Omnes qui rectè agunt, Deus saluos reddit, ergo eos quoq; eligit, quos tales futuros ob sua merita animaduertit,

per negationem consequentis aiunt Chatolici intelligi pronunciatum, hoc enim esset argumentari ab effectu cum conditione, ad causam liberam, atq; absolutam nulla circumscriptione impeditam, oportet igitur æquales hic adesse terminos, neq; verò sequitur, Deus Cælum filijs suis largitur, cum audientes fuerunt, quoniam eius præceptis paruerunt, Ergo Deus filiorum loco eos habuit propter egregia illorum opera, hoc verum non est, gratis nanq; eligit, hoc est munificentiæ, atq; liberalitatis diuinæ erga genus humanum insigne argumentum, non enim hoc dicendum est, quoniam hoc pacto probitati, atq; integritati Dei omnipotentis detrahe-retur, quandoquidem is nulla re alia motus nos eligit, cælum donaturus, si quantum in nobis est in eam cogitationem operibus incumbuerimus. Vale.

IOANNI BAPTISTAE
CASTRVCCIO
S. R. E. CARDINALI IVDICIOSISSIMO. S.

Amplissime Pater.

ADAMVS post peccatum viuere non desijt, & libertas conditio est ipsius animæ innata, non extrinsecus acquisita, ob hanc causam credendum est, graue quidem vulnus huic libertati illatum, ita quod nisi Christus occurrisset inualida semper, atq; imbecillis fuisset, sed ipsius auxilio longè firmior, atq; valentior effecta est, non enim Adamus voluntatem, aut intellectum proprium huius, aut illius agentis, vel vtriusq; in agendo, ac iudicando aciem, & virtutem amisit, ita quod postmodum non eo ingenij acumine, quo antè præditus fuerit in rebus percipiendis, aut dijudicandis vtebatur, nam ex perspicaci stupidus euasit, ex prudenti incautus, ex sapiente insipiens, pro amore, quo ardebat, perdita refertus

fertus fuit nequitia, omnibus beneficijs, quibus inmortalibus à Deo Optimo Maximo affectus fuerat propè exutus. Christus autem veniens eum in pristinum statum, multoq; præstantiorem reddidit. Ecce enim effectus præceptor noster illa nobis explicat, quæ è sinu Patris omnipotentis abdita fuerunt, medicinam morbis innumeris præstantissimus medicus attulit, eodemq; tempore, si ea vti velimus, cùm animo, tùm corpore sanitatem allaturum, mediante nostra libertate, ipsi parendo se profitetur.

Vale.

DECIO AZZOLINO S. R. E. CARDINALI OCCVLATISSIMO. S.

Amplissime Pater.

QVAERIT Hereticus, an hominis libertas vllo modo impediri possit? Respondit Chatolicus, libertatis vsum absolutè non posse; sed ex accidenti

aliud censet, quoniam libertas ratione, ratio virtute animi, hæc enim instrumento, & medio quodam eget, quod si oppressum fuerit non poterit obiecta sponte virtute eidem imaginatiua (vt vocant) offerre, qua impedita, rationem quoq; occupari necesse est, atq; ita voluntatem, quæ ad res incognitas se ipsa transferre nequit, quod fieri dicimus, quantum ad electionem, non quidem absolutam, sed vnius vel alterius obiecti pertinet, quemadmodum dici solet, Cæcum de coloribus iudicium facere nõ posse, & cum quærit Hereticus, an liberũ nostrũ arbitriũ propter peccatum ammittere possumus, hoc accipere debemus pro habitudine, vt (ita loquamur) ipsius libertatis, non autem secundum eius naturam, atq; substantiam, quandoquidem ea in omnibus est eadem, possumus, & hoc ipsum intelligere pro illius ingenij præstantia, in quo hæc libertas fuerit constituta, hinc dicimus eam maiores habere vires, & magis elucescere in eo, qui sibi virtutis habitum comparauit, quàm in eo qui non ita consueuerit, itaq; cum præstantior sit Angelorum natura, in his etiam credendum est eminentiorem vigore libertatem, in Deo autem absolutissimo virtutum omnium exemplar propter hanc eandem rationem incomparabilem effulgere.

DOMI-

DOMINICO PINELLO

S. R. E. CARD. LEGATOQVE FLAMINIAE,

OPTATISSIMO. S.

Amplissime Pater.

QVAERVNT Curosi, quid est, quòd mutatur hominis libertas, neq; hominem cogit, sic nos Chatolici respondemus, primò quòd intrinsecus agit, & intus fit ista mutatio à cognitione rei progrediens iuxta affectus illos, qui hominem procliuiorem reddunt aut ad bonum, aut ad malum; Verùm inuitat nos Deus, ad bonum allicit tanquã filiolos lenissima mater, semper cogitans, semper solicitus, quo pacto nos ad se rapiat, sic post lapsum, Adamus vocatur, ex qua re optimis indutus pellibus perpetratum facinus, miseriasq; contractis intelligit, Genes. 3. hanc Dei voluntatem elusit Pharao sua pertinacia Exod. 5. vnde se ipsum nulla aut excusatione, aut venia dignum reddiderat, contra verò vocem, Heliæ audi-

audiuit Acab. peccatum luget, veniam consequitur Reg. libro 3. cap. 17. & 18. sic Dauid excitatur per Natan lacrimas effundit, ei delictum remittitur 2. Reg. cap. 10. quid Hebræorum populum dilectum, quoties ad eum misit Deus Prophætas, quoties propria voce vocauit, Ierem. 7. & Paulus ad Hebræos primo. quid, Paulus Apostolus actuum 9. vocatus paratissimus se fore ad obsequendum exclamat, & statim diuinum exequitur mandatum, ad eundem modum Christus vno intuitu Petrum vocat, vnde pernegati magistri, atq; auctoris vitæ dolore afficitur, ita illi condonatur error. Lucæ 22. hoc idem Madal. Luc. 7. in Samaritana Ioan. 8. & in vniuerso demq; terrarum orbe ostēdi potest, quid enim illud Matt. 2. venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, tollite iugum meum super vos, & discite a me, & audiuistis postremo verba intellectum actionem significant, & tollite ad voluntatem pertinet, venite, ecce nobis opera; quæ vocamus exequutoria, & ego reficiam vos, præmium hoc est messis superati laboris, lucrum incomparabile, etiam legimus Reg. 4. c. 2. cum ex hac vita in Cœlū Elias peruectus esset Eliseo dixisse, Quid vis à me petito, priusquam recedam, ad quem conuersus, da mihi inquit (obsecro) spiritum tuum, tùm

 Elias

Elias magnum sanè istud est, nihilominus si mē intueberis, cum ad Cœlum extollar, futurū est, vt impetres, ecce verò ignea aparuit Rheda, quam Elias ascendens extolli cæptus est, Eliseus autem clamans Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga eius, atq; ita defessis oculis intuitu, & clamore voti compos effectus est, nihil aliud Elias nobis, quàm Christum Iesum designat, qui vnumquemq; nostrum alloquitur, affirmās se nobiscum semper futurum, si modò tantam consuetudinem non aspernabimur, secus verùm absurdum (inquit) vobis perpetuo licet petere, quodcunq; cupietis, dum adsum, accipietis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis, quid igitur sumus in mora; accedamus, dum vocat, dum nobis promittitur, quid tùm rogaturi, nihil aliud rectè, quàm eius gratiam, & spiritum in hac vita, quo intelligere ac amare eum tantum; & nostris imparem viribus possimus, quòd si hoc pacto Christum Cruci affixum inspexerimus, nihil profectò, qui suo est in humanum genus insignis amore, neq; deerit, itaq; eum illo coniunctus facillime præsentis vitæ molestias, atq; labores, mortem deniq; ipsam eo adiutore perferremus scientes, eundem Christum Iesum, omnes qui sibi fidem habuerint excitaturos, atq; in cælestem patriam perducturos, sed verè cre-

se credamus, & fateamur oportet ipsum nostra causa hominem factum, ab amico, & sodali minimo prætio proditum, in crucem sublatum fuisse, ideoq; à mortuis ad perpetuam vitam reuocatum, quò nobis ad salutem viam sterneret, & vna secum omnes beatos efficeret Luc. 25. & Matthei 10. iam vero æqui ignei currui iuncti intellectum, voluntatemq; designant, quibus humanis calamitatibus Optimus Deus Maximus, manum admouet nobis debita, omnes cruciatus omnia tormentorum genera nobis debita in se ipsum transferens institutor vitæ nostræ, intercessor, ac saluator est. Vale.

HENRRICO CAIETANO S. R. E. CARDINALI LEGATOQVAE BONONIAE AMABILISSIMO. S.

AMPLISSIME Pater, extat locus Genesi tertio. vbi cum Adamus delinquisset, nihilominus inuitat eũ Deus, vt peccatum sua libertate fateatur, atq; detestetur, quid enim aliud sibi illa

verba volunt, Adam vbi es? dicemus nè, Deum ignoraſſe, vbi Adam eſſet, abſurdum, nefarium impium, ſed vt eccitaret ad pænitentiam, & cognitionem peccati, quòd ſi libera voluntas non fuiſſet, quomodo errare potuiſſet, nempè certum eſt teſte Auguſtino, illud non eſt peccatum, niſi voluntarium, hoc idem nos admonet ſcelus fraticidæ Cain Geneſi 4. cum inquit Deus poſt admiſſum facinus, vbi eſt frater tuus? ipſe verò facinus excuſans, ac negans fiduciam propè omnem abijcit, at Deus ad rectè agendũ adhortatur, & quod nam virtuti, & vitio præmium conſtituerit, & docet, non ne ſi benè egeris, benè recipies? ſin autem malè ſtatim peccatum tuum in foribus erit, planum eſt igitur poſt Adami lapſum, libertatem ei relictam fuiſſe, ſed vbi per peccatum, & primo parenti, & omnibus eius poſteris libertatem ademptam, dicat Hereticus, quid Chriſti aduentus, nihil nè proderit, quandoquidem is venit, vt omnes ſanaret, omnes à mortuis ad vitam reuocaret, omnibus ad cœlum iter aperiret, qui ſi Adamus nobis libertatem vulnerare potuit, quare nonnè, & Chriſtus multo ſanè preſtantior nobis eandem non reſarciuit? quin potius dicendũ eſt clariorẽ, iucundioremq; libertatem per ipſum nobis allatam, cenſemus nè obſecro, ſi vſus popoſciſſet,

pri-

primum illum parentem labores pericula, cruciatus, mortem ipsam subiturum, at non defuere, qui Christi amore flagrantes, omnes iniurias perpessi sunt, Actuum quinto, ibant Apostoli gaudentes à conspectu consilij; quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesù contumeliam pati, & Ioannes xj. inuitat Thomas cæteros, vt secum vnà moriantur cum Christo, Paulus carcerem, vincula, & mortem pro Christo exoptat, Barth. itidem cruciatum constantissimè Christi nomine perfert, neq; interim gratiarum actionem erga Deum amittit. Andreas crucem saluere præcatur, cui postea affixus populum orat, ne mortem suam impediret, quid Stephanus hilari vultu ictus lapidum protulit, lapides torentis illi dulces fuerunt, Laurentius in flammis pro Christo constitutus exultat, innumeros referre possem, è quibus dijudicari potest amplissimam nobis libertatem per mediatorem Christum restitutam, nullo pacto eum ea quam primo parenti Deus tradidit conferendam; aduersus insanos Hereticos; quos hoc nostro Epistolio in eorum dictis pro veritate amplissime Præsul reprobatos summatim à nostris Chatolicis videbis. Vale.

HIERONYMO MATTHEO S. R. E. CARDINALI PRAESTANTISSIMO. S.

Amplissime Pater.

QVAERIT Hereticus, an causa reddi possit, ob quã Deus non effecerit, cum ipse sit misericordiæ fons, vt peccare homo nequiret? Respondit Chatolicus Amplissime Pater; ad maiorem hoc factum est gloriam, atq; hominis vtilitatem, quod exemplo comprobatur, propono Ducem, aut Imperatorẽ quondam bellũ gerentẽ, in cuius exercitu miles aliquis reperiatur, qui magno animo, & summa rei militaris peritia prælium ineat, seq; omnibus in pugna conspicuum reddat, cuius virtutem animaduertens Imperator, ordines illi militares ducendos assignat. Fingamus modo, hunc eundem Imperatorem filium habere, qui nullum adhuc sui periculum fecerit, illi, statim cum pater velit armis, & labore militiæ assuescere adoloscentem, eundem, quem ante

strenuo militi, honorem defert, vterq; , vt videmus, in honore constitutus est, idq; gratis, & mæra principis voluntate, sine qua neuter pro duce haberetur, querimus vtrum præstanti cura Ducem existimemus, nempè nemo non dixerit, peritiorem fore militem artis bellicæ, atq; digniorem, quamuis enim ambo Principis liberalitate honestatos dicamus, nihilominus miles per labores, & pericula ad eum gradum ascendit, filius autem nullum subijt periculum, nullum virtutis signum dedit, hic itaq; tanquam hæreditario iure honorem consequitur, alter verò emisse, quodammodo videtur, quamobrem si homo per gratiam ita creatus esset, vt errare non posset, & Cœlum ipsum consequutus foret, nunc vero idem erit, nam nihilominus beatus futurus est, si fortiter aduersus peccatum pugnauerit, atq; ideo maior ipsi debetur laus, quàm si nihil agendo Cœlum impetrasset, vt filium Regis modò diximus inferiorem esse militi, quandoquidem is vigilijs, & labore eam dignitatem sibi comparauit, filius autem ad eundem locum nulla virtute perductus est; idem cogitandũ est de pueris, qui statim accepto Baptismo mortẽ obeũt, nam ij profectò salui fiunt, sed multo est maior parentũ suorũ gloria, cum ij plurima in hac vita penũ fuerũt, illorũ autẽ nullũ est animo meritũ.

FRAN-

FRANCISCO MARIAE SECVNDO VRBINI DVCI SERENISSIMO.

OPTANT scire curiosi, Serenissime Princeps, quot, & quæ hominis libertas respiciat? Respondit Chatolicus, tria respicit, primū est quod pertinet ad exercitationem actus animæ, quo agimus. Secundum est, quò ad deliberationem ipsius actionis. tertium est quò ad dispositionem, vtriusq; ad finem suum, primum homini inest, omnia respiciens, quæ sese illi offerunt, vbicunq; & quocunq; statu, secundum itidem, tertium verò in loco fœlicitatis reperire nequit, iam enim ad metam, finemq; exoptatum peruenerunt, quo gaudent, & perfruuntur. Nec quicquam existimas, non versari libertatem, de qua agimus, circa corpus, sed animam ipsam respicere, corpus quidem trahi, animæ verò nulla vis inferri potest, imperium verò illius facilè impeditur, vnde sequitur, vt qui trahi noluit, in

ipsa

ipsa præstet sententia, quousq; in infernum vbi inuitus, atq; repugnans versatur, sponte Deum, & homines, quicquid ibi fuerit, quicquid in terris, aut in Cælo reperitur, detestans: vnde Christi pronunciatum de quo Ioan. 6. nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum, non aufert hominis libertatem, exemplo comprobatur. Ecce si aliquis domi scribens, aut quid aliud agens, si excitetur; & moueatur ab aliqua extrinsecus causa incidente, vt puta Campanæ pulsu, aut ad præces, aut ad audiendum Dei verbum inuitaturo, domi si exeat obtemperaturus, & aliquem offendat, qui eum ab hac sententia ad scelus aliquod traducat, quo admisso in carcerem, & in vincula arripiatur, iam priores illi duo actus sunt voluntarij, tertius autem omnino cessit, sic in re proposita Deus trahit hominem, hoc est ipsum ad rectè agendum inuitat, Christumq; intercessorem omnes habere docet, sponte animorum auctorem, & effectorem, ac Præfectum bonorum omnium, cuius ope vniuersus seruandus est orbis, atq; hunc trahendi modum Theologi inductiuum quodammodo appellant.

Vale Principum decus, & faue seruo tuo Iacobo Mazzonio Cesenatensi Philosopho clarissimo, Theologo probatissimo, & omni scientiarum genere Cumulatissimo quo ipso so-

ilb satis honestata esset Flaminia in qua floret, & si omnibus alijs esset penitus destituta; hic de hominis libertate, tùm in viam Philosophiæ, tùm etiam in viam Theologiæ libro suo nuper pulcherrimo ædito nuncupato la Diffesa di Dante, libro tertio capite 45. e 46. in compendium disertißime scripsit.

IOANNI PETRO GHISILERIO SANCTISSIMI DD. N. SIXTI P. V. CONSILIARIO VIGILANTISSIMO.

REVERENDISSIME Pater. Quid Cœlorum (vt vocant) influxus maxime libertati obstare affirmant Hæretici? Nos autem contra, nempè absurda narrant, perinde ac si dicerent animam nostram albedinem, aut nigredinem contrahere posse, quoniam Cœlorum motu subiacet, nonne videmus animæ substantiam penitus immortalem esse, nullis huiuscemodi qualitatibus subiacere, quandoquidem ad corpus illa pertinent, & in materia consistunt, etsi Cœlorum vis esset;

quam

quam existimat Hereticus, quid inde sequetur, hoc nimirum, vt Deus Sapientissimus, Angeliq; ipsi inter sese dissidere necessario cogerentur, Nempè elegit Deus hominem, pro cuius salute vnigenitum sibi filium tradidit, fac modò contraria hominem necessario efficere, quid aliud erit, quàm velle, & nolle Deum saluari hominem? Angeli itidem dum nobis ministrant, nos saluos volunt, at si ijdem postea contra nos Cœlum vertant, quid erit aliud, quàm decipere, iam vero profluxiones illæ cælestes, aut bonæ aut malæ sunt, si bonæ, nimirum in causa forent, vt quot quot sub eorum virtute nascerentur homines boni efficerentur, sin malæ contrà eueniet, nascituri omnes illorum similes procrearentur, ideoq; nullos inter se dissimiles conspiceremur eorum, qui eodem tempore progeniti fuissent, quod quàm falsum sit, licet animaduertere, quare igitur perditorum hominum, vt aliquam suæ ignauiæ causam prætendant, aiunt se cogi ad ea, quæ nollent, sed clarissimum huius rei Testimonium in Sacris Litteris explicantur. Malac. primo. & Pauli ad Rom. 9. cui enim peritorum exemplum Iacobi, & Esau, est inauditum? quorum alterum insignis probitas, alterum perdita nequitia comitata est, nihilominus vterq; vno, & eodem tempore nascitur, postremo si quid virium in

homines Cœlum habet, omne illud ad corpus, non ad animam pertinere existimamus, sed vbi etiam ad animum extendi dicamus, nihilominus commune hoc erit cum corpore, neq; tale, quod libertati nostræ vim facere queat, hoc enim exemplo clarius ostendimus, Mars (inquit) hunc ab bellum, Venus ad voluptates, Iupiter ad honores impellit; esto, sed interim positum est in ipso an bellum, voluptates, vel honores (hoc est) an Deum, vel Sathan, sequi velit, nonne scriptum est, sapiens dominabitur astris, & cum omnia Deo immortali sint subiecta, meritò etiam sentiendum est, stellarum vires ei parere oportere; nolite (inquit Prophæta) timere a signis, quæ timent gentes, quo loci non negat signa esse, sed consolatur pios, ne ea metuant, non quia nihil significent, sed vt confidant se diuinitus inter illa pericula regi posse; præclare Ptolomeus ait Astrologorum decreta non esse prætoria, hoc est, quia non cogunt, parere immò, & Paul. ad Rom. 5. diligentibus Deum omnia cooperari in bonum affirmabat. Vale.

HORA-

HORATIO FVSCO A' SECRETIS S. D. N. SIXTI QVINTI PROBATISSIMO.

REVERENDISSIME Pater: Quid Demones, an non existimant aliqui propter eorum sapientiam, ac potentiam summo eos eniti studio, vt nos arbitratu suo facere, aut non facere cogant, atq; ita afficere, vt elusoria pænitus hæc nostra reddatur libertas? nulli dubium, Religiosissime Vir, si frenum tam sagaci hoste iniunctum non fuisset, ita nobiscum pro posse suo pugnaret, vt semper nobis in prælio victis, ipse victor abiret, verùm cum vnicum, ac singulare præsidium, quod est Christus Iesus aduersus tantum hostem, tanquàm veteratorem habeamus, quis non existimet, modò fidem habeat, se posse omnem eius machinationem, ac fallacias superare, viuamus igitur, viuamus profectò, diuino fulti auxilio, modò non simus segnes, adeò vt viso hoste tamquàm imbelles fæminæ, conspectum eius reformidantes aufugiamus, nam Paulus

lus ait fidelis Deus non patietur nos tentari supra id, quod possumus prima Cor. x. Quemadmodū enim spongia expressa aqua exit, ita e qua cunque sollicitudine, si quis eam cogat, Christus emanabit, neq; naturalis hominis inclinatio, maximam vim habet, aduersus hominis libertatem, itá quòd sæpissime nos inuitos plura obnoxia facere cogit, vnde dictum consuetudo est alterá natura, quoniam dicit dominus Genes. iiij. sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illi, quòd si appetitu impellente ageret homo, quæ vellet, quid obsecro discrimen inter ipsum, & animalia bruta constitueremus, & adeò homo liber est, vt nulla vi alia impelli possit, nec consuetudine, quæ asseritur hominem impulsum in varia prolabi scælera, quoniam si longa consuetudine vis inferretur homini, vtiq; dicendum esset præcipuum illud, latronem ad Deum conuerti nequiuisse, quod omnino est á veritate abhorrens, eum verò oportet ántè, malè agendo contraxisse habitum, aliòquin eum nedum insignem, sed nec vix Latronem appellarent Sacræ litteræ, videmus igitur non obstitisse illi consuetudinem, quò minus conuerteretur, quam ob causam, quoniám hoc est vocantis Dei, qui semper vnumquemq; vocat, & saluum esse cupit, Vnde dicendum est, atq; affirmandum nullo

modo

modo superare, malam consuetudinem hominis libertatem, Quod notum sit, si aduertamus in momento temporis, Auaros, Homicidas, Inuidos, Elatos, atq; huius generis scælestissimos homines, semel verbo Dei audito in pænitentiam duci, & ex perditis, ac prauis hominibus insignes emendatæ vitæ probitate reddi, præterea si prauæ consuetudines libertati hominis vim afferrent, simplices puellæ, atq; Virgines, neq; nuptæ essent, neq; etiam Deo acceptæ, dum enim cum tirannis fuerunt, vtiq; ipsi à Christo ad suas impudentissimas libidines illas vertissent, Neq; Apostoli constantes extitissent, sed eos Iudas in eius iniquitatem rapuisset, aut ipsi illum de nefaria sententia retraxissent, verum non potest vlla societas huic nostræ libertati detrahere. Vale.

FINIS.

SERMO IN HERETICOS, DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO.

IN QVO.

AVCTORITATES omnes Diuinæ ſcripturæ (vt iacent) veteris, & noui teſtamenti, quibus conuincitur Hereticus, carptim explicantur.

DEus ab initio conſtituit te Eccl. 15. & reliquit te in manu conſilij tui, adiecitq; mandata, quæ ſi volueris conſeruare, conſeruabunt te, appoſuit tibi acquã, & ignem, vt ad quodcunq; volueris porrigas manũ tuam, ante vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit dabit tibi, quia dixit Dominus Genes. 4. nonne ſi bene egeris recipies, sin autem male, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit, & ſub te erit apetitus tuus, & tu dominaberis illius propter quod mandatum, quod tibi præcepit Dominus deut. x x x. non eſt ſupra te, ſed iuxta te eſt ſermo valde in corde tuo, vt facias illud, præpoſuitq; tibi benedictionem, & maledictionem vt eligas vitam, & viues, & ſemen tuum, quoniam, qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus Eccl. 31. facere malã, Eſai. 56. & non fecit, benedictionem

 reci-

recipies, mala ergo facis, quia potes. Audi prophætam, anima mea in manibus meis semper, Esai. [illegible] si volueris, & dominum audieris, bona terræ comedes Esai. 1. 19. & 16. quod si nolueris, Dominum ad iracundiam prouocas, & gladius deuorabit te, redde præuaricator ad cor [illegible], & abiice omnes iniquitates in quibus præuaricatus es, & fac tibi cor nouum, reuertereq; & viue, conuertere ad Dominum tuum Ier. 3. quia ipse conuertetur ad te, sed video, quod potius eligis mortem, & non vitam, ideo arguet te, & malitia tua, atq; auersio tua, Iere. 16. inculpabit te, quoniam optio data est tibi, an Deum sequi velis Iob. 16. voluntarie sacrifica Domino, dicas cum ipso, quinq; talenta tradidisti mihi Reg. 24. [illegible] ecce alia quinq; lucratus sum, Quamobrem abundantius omnibus labora, seruans mandata, si vis ad vitam ingredi caueas, ne incidas in illud Domini, quoties volui congregare te, quemadmodum Gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti, Hier. [illegible] [illegible] in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem vero habens suæ voluntatis, [illegible] quia vt velis, destina cor tuum, non ex tristitia, aut necessitate, [illegible] quapropter animam tuam iustifica, castitatis obedientia Petri [illegible] amore, quod si feceris [illegible]

-1357 A tibi

tibi Deus, nec derelinquet is, & suade in con-
spectu Dei cor tuum; quoniam sine consilio cum
Deus nihil vsus est facere, & Dominus Ioan. 5. vis
sanus fieri, tolle grabatulum tuum, &c. Omni-
busq; igitur his tibi consule, quibus patet, te non
sine libero arbitrio viuere, aduersus quod tradis
multas ineptias. Animaduertas quæso, quod si
libero careres arbitrio, omniaq; absoluta necessi-
tate euenirent, vt falso asseris, nihil profecto
relinqueretur precibus, consilio, regimini, publicis
deliberationibus, nulla virtutibus deberentur præ-
mia, nullæ pœnæ vitiis, leges perirent, iura, sta-
tuta, atq; præcepta, cessarent deniq; admonitio-
nes, persuasiones, luminationes, quoniam ea om-
nia libertatem exigunt, & necessitatē autem sol-
uunt. Et summa hoc est, quod omnia flagitia,
scelera, impietates, & blasfemiæ referentur.
Ni mirū si bonus Deus dicat perditio est ex te he-
retice. Osea 13. quid enim prodesset docere, ar-
guere, corripere, & erudire? nihil quidē: quid in-
quā prodesset, hominē ad bonū opus esse instru-
ctū? nihil certe cōtra sententiā Pauli, Timo. 3. di-
cētis, omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est
ad docendū, arguendum, corripiendum, erudi-
endum, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus
bonum instructus, quapropter reuertere ad Do-
minum Deum tuum, & spiritum innoua in vi-

fceribus tuis. Nec cum Ioanne dicas, nemo vadit ad Christum, nisi Pater traxerit eum, cuius dicto liberum peruerteris arbitrium Ioan. 6. Nempe illud de tractu Patris per gratiam præuenientem, cooperantem, perpendas quæso intelligit, sed tractationi aquiescere, & cor tuum non indurare, si Domini vocem audieris, hoc est opus, & liberi arbitrij tui. Minus adstipuleris pronunciato Christi dicentis, nonne duo passeres Mattei 10. Asse væneunt, vnus ex illis non cadet super terram, sine Patre vestro. Quoniam cæcuit Melancton lacerans hoc Christi axioma, quod de Dei prouidentia loquitur, qua vult Christus Patri esse subiecto.

Neq; coadiuueris altero Christi placito, cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquimini, Mattei 10. dabit enim vobis in illa hora, quid loquimini. Nempe id declaratur quantum ad ansam, & solecitudinem præcogitandi, atq; ad scientiam Apostolorum, de quibus loquitur, refertur, quibus etiam erat infusa. Nec etiam persuadeas volo in dicto Pauli 2. cor. 3. Rom. v. inquientis si reliquiæ secundum electionem gratia Dei saluæ factæ sunt, si autem gratia Dei non ex operibus, alioquin gratia, non est gratia.

Quia aspicias quæso, quòd saluabuntur boni ex

gra-

gratia, deinde operibus, propterea quòd operæ sine gratia non ducunt homines ad Cœlum, verum ipsam gratiam Christi benignitate digna fiunt, non enim sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, inquit idem Paulus.

Neq; etiam confidas obsecro in illud Hieremiæ dictum, quod non est, hominis via eius, nec viri, vt ambulet, & dirigat gressus suos Hiere. 10. Quia illud intelligitur, quantum ad executionem operum, in quibus homo impediri potest multifariam, & hoc non est in hominis semper potestate, sed quantum ad ipsam operum ellectionē, hoc semper in hominis potestate consistit.

Nec etiam, quod plurimi facias pronunciato Esaiæ. Quare errare nos fecisti de vijs tuis? indurasti cor nostrum, ne timeremus te, me mouet Esaiæ 64.

Illud etiam intelligitur quantum ad hominem peccatorem, non quòd Deus Auctor sit peccati, aut erroris, sed secundum nos Catholicos verbū fecisti, idest permisisti, indurasti, scilicet indurare consensisti, declaratur.

Neq; etiam magnifacias oro admirandam Pauli Rom. ix. sententiam, miserebor, cui misærtus sum, & misericordiam prestabo, cui miserebor, igitur non volentis, neq; currentis, sed miseren-

tis

tis est Dei, ergo cuius vult miserebitur, & quem vult indurat.
Quoniam hoc eiusdem Pauli intelligitur de Dei misericordia, quæ liberum præuenit arbitrium mouendo, per quam misericorditer cooperatur Deus adiuuando.
Neq; deducas in aciem illud Ioannis p. pronunciatum non potest homo accipere quicquam nisi ei fuerit datum de Coelo, & aliud Iacobi, omne datum, & donum perfectum sursum est descendens a Patre luminum Iacob. p. tertium aliud Pauli. 1. Cor. 4. omnis sufficientia nostra ex Deo est, & quid habes homo, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?
Quoniam nos Catolici fatemur bona, non nisi Deo actiue accipi, sed inquimus aliqua Deum conferre agente libero arbitrio, aliqua sine eo, verumetiam fatemur merita nostra esse Dei dona, à Deoq; data, ipso præueniente, cooperanteq; subsequente ex quibus non negamus liberum arbitrium actiue concurrere ad merita.
Neq; etiam postremo adducas in medium alterum Pauli ad Rom. 9. exemplum, ex ore Dei, Iacob dilexi Esau odio habui, & priusquam nati fuissent, aut aliquid vel boni, aut mali egissent dictum illud vocante, quia maior seruiet minori,

Animaduertas quæso, quoniam exemplum malè accipis, nec locum intelligis, Nempe scire debes, quòd in illis verbis, Iacob dilexi, Esau autẽ odio habui, tria ponuntur in Deo ad sanctos pertinentia; Dilectio, electio, & prædestinatio, quæ tria sola ratione differre docent Theologi, Dicitur enim Dei dilectio, secundum quod vult bonum alicui absolutè, electio autem ex eo, quod propter bonum, quod alicui vult, eum alteri præfert; prædestinatio verò secundum quod hominem dirigit in id bonum, quod ei vult diligendo, & eligendo, ideo secundũ rationẽ, prædestinatio sequitur dilectionem; sicuti voluntas de fine naturaliter sequitur directionem aliquorum in finem, sciendum tamen, quod electio, & dilectio aliter ordinantur in Deo, & aliter in homine, In homine enim electio præcedit dilectionem, ratio est, quia voluntas hominis mouetur ad amandum ex bono, quod in re amata considerat ratione cuius ipsam præeligit alteri, & prælectæ suum impendit amorem. At verò voluntas Dei est causa omnis boni, quod est in creatura, & ideo bonum, propter quod vna creatura præfertur alteri per electionem, consequitur voluntatẽ Dei quæ est de bono illius quod spectat ad rationem dilectionis. Vnde non propter aliquod bonum

quod

quod in hominē eligat Deus, ipſum diligit, ſed potius eò quod ipſum diligit, præfert eum alijs eligendo. Sicut autem electio, de qua hic eſt ſermo, ad æternam Dei prædeſtinationem pertinet, ita odium de quo odio habitus dicitur Eſau, ſpectat ad reprobationem, qua Deus peccatores reprobat. Neq; verò ſequitur quod iſta reprobatio ſit temporalis, cum nihil temporale ſit in voluntate diuina, ſed eſt ab æterño, & quantum ad aliquid conuertitur cum dilectione, ſiue prædeſtinatione, quantum etiam ad difert, conuertitur quidem, quia ſicut prædeſtinatio eſt præparatio gloriæ, ita reprobatio eſt præparatio pænæ, difert autem quia prædeſtinatio importat præparationem meritorum quibus peruenitur ad gloriam: ſed reprobatio importat præparationem peccatorum, quæ merentur pænam; Ideòq; præſcientia meritorū non poteſt eſſe ratio prædeſtinationis, quia merita præſcita cadunt ſub prædeſtinatione, ſed præſcientia peccatorum poteſt eſſe aliqua ratio reprobationis, nempè ex parte pænæ quæ præparatur reprobis, inquantum ſcilicet Deus proponit ſe puniturum malos, propter peccata, quæ à ſeipſis habent nō a Deo Iuſtos autē proponit ſe præmiaturū propter merita quæ à ſeipſis non habent. Perditio tua ex te Iſrael, tantum ex me auxilium tuùm, Oſeæ. 13.

Et ſi

Et si dicas, Deus spontè, & vt ei placet, quem vult eligit ita ergo à contrario, quem vult, reprobat; scito te tota aberrare via, Deus enim cum nos elegerit ante mundi constitutionem, hoc fecit, nullis prospectis meritis, cum verò nos perdendos intuetur mali facta respiciens pœnam præparat, vt sicut ibi relucet misericordia, ita hic diuina ipsius exerceatur iustitia.

IN HERETICVM APOLOGIA.

SIcq; ad singula tua argumenta, quibus te instruunt, pseudomagistri tui, hoc pacto respondeo. Sunt enim mendaces introducentes sectas perditionis, sibiipsis, & tibi celeriter interitum superducentes, quorum lingua ignis est, inquietum malum, plena veneno mortifero, qui quoq; zelum amarum habentes, & contentiones in cordibus suis gloriantur, & semper mendacia proferunt, aduersus veritatem, contra quos magistros tuos exurgat Dominus, vendicans causam suam, memor existens opprobriorũ vestrorum, puniensq; duriciem cordium vestrorum, cum nobis pateat, quòd tanquam vulpes surrexistis querentes demoliri vineam, quæ est ecclesia Romana, cuius Christus Dominus noster torcular calcauit solus, quam exterminare, nisus fuerat

aper fectus de silua olim cum Deus princeps scelestis Hereticus. Ecce qui vt nosti retroactis annis luit pœnas turpissima morte deuoratus. Satage ergo frater secundum carnem, cape meum fidele consilium, quod est. Quod per bona opera certã facies tuam vocationem, electionemq; fructificans in omni bono opere, quia vt inquit Christi Vicarius Diuus Petrus ex bonis operibus vos considerantes glorificabit Deus, perpendesq; illud Iacobi dictum, quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat habere, opera autem non habeat. nunquid poterit fides saluare eum, vis autem scire perditus homo hereticus, quoniam fides sine operibus mortua est, hinc si filius Abræ es, opera eius fac, & doctor gentium Paulus, bonum certamen certaui, cursum consumaui fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus Iudex: merito ergo donatum est tibi à Christo, vt non solum in eum credas, sed etiam pro illo patiaris, luceatq; lux tua coram hominibus, vt videant opera tua, & patrem glorificent, qui in cœlis est, nemo itaq; te seducat, quia qui facit iustitiam Iustus est, & dicit Ioannes vide ne te ipsum perdas, & quæ operatus es, vnde vt mercedem plenam acquiras opera cum metu, & tremore salutem tuam, vt digne ambules, pla-

ceasq;

ceasq; in omni opere bono Domino Deo tuo, sciens quòd labor tuus, non erit inanis in domino, quoniam recordare, quòd te omnino oportet manifestare ante tribunal Christi, vt referas proprio corpore, quæ fecisti siue bonum, siue malum, & tunc eo tempore accipies mercedem, secundum laborem tuum, & quæso animaduertas, quod non legis auditores iusti sunt, sed factores legis iustificabuntur, & ad tuam salutem concludo tibi, quòd procedes si bene feceris in resurrectionem vitæ, si verò egeris male in resurrectionem Iudicij. Ideo inclina cor tuum ad faciendas iustificationes, propter æternam retributionem, propterea quod Dei misericordia faciat vnicuiq; locum secundum merita suorum operum, & perpende quod ait Sapiens. Iustus in perpetuum viuet, & apud Dominum est merces eius.

Et si his neglectis ambulaueris in mirabilibus super te, ac extuleris veluti Lucifer, & Demonium meridianum in Deum, & Christum eius filium, atq; sanctæ Rom. Ecc. credere nolis, planè decipieris, & in precipiti errore fermè cades, cadesq; continuò, dum veteres nostros propositos patres eruditione spectabiles, moribus insignes auctoritate conspicuos aspernare non vereris. Tu non nisi venenata dogmata in Germania,

in Gallia, in Anglia à salute aliena à recta fide deuia, & veritatis expertia invehere motus es, proptereaq; in abominabiles errores insolenti, ac superba temeritate es præceps, ò plusquam ceca tui est hominis heretici superbia, omnibus Ecclesiæ proceribus te anteferens, tibi inquam consule, & pro tua sæpius repetita salute, quæso ne transgrediaris terminos anticos, quos posuerunt Aui, & pro Aui tui, interoga generationem pristinam, & diligenter inuestiga, Auorum, & pro Auorum tuorum predictorum memorias, ipsi docebunt te, & loquentur tibi, & de corde tuo proferent eloquia, quoniam mandauit Deus pro Auibus dictis, & Patribus nostris, nota ea facere tibi, & filijs tuis. Crede ergo Deo, & mandatis Ecc. Catholicæ memor esto dictorum tuorum patrum dicentium, stulti filij, stultus populus, & superbi Ciues, quia queritis Lutherum, Zuinglium, Bucerum, Melanctonem, & cæteros Catholicæ Ecc. inimicos, sed sequere sanctorum nostrorum patrum sapientiam. & veram Catholicam doctrinam, nempe ab illis disces seruire Deo, & Catholicæ Ecc. Romanæ sine querela, quòd si secus feceris ad inferos cum Luthero, & alijs Pseudomagistris in perpetuos cruciatus inconsumptibiles eternaliter detruderis.

O hominis dementiam, ò singularē improbi-

tatem,

tatem, quomodo bone Deus testimonia, & promissa Christi dilaceras, distorques, quàm omnia ad peruersam illorũ Dei sententiam traducis expergiscere aliquando, & admoue aures animumq; ad ea quæ supra dixi, attende, quo nam pacto tua argumenta, tuas rationes, non modo labefactari, sed conuellere atq; deturbare possimus, nos catholici, desiste à pertinacia, intellige mandata sacris litteris eo pacto, vt semper pro spiritu contra carnem, ea interpræteris, hac ratione nunquam errabis, an nescis corpus, quæ corporis sunt sapere, spiritus autem quæ spiritus. Ne sinas quæso, te amplius falli, nonne vides auctores, & duces tuos priuatum semper propositũ habere finẽ? atq; religionis specie populos, & nationes sollicitare, vt adiutores habeas ad conatus tuos perficiendos? alius enim ex illis ambitione flagrat, alius de principatu contendit, alius alio mouetur studio. Preterea quot inter illos dissensiones, quæ turbæ assiduæ versantur? nunquam idem vna sentit ciuitas, sed ne vna quidem familia. Et Dij boni hoc est credere? hoc est vere Christianos esse? contra vero, inspice Romanam Ecclesiam, vt semper vnum predicarit, in vnum tota consenserit, & quemadmodum à Christo nato eadem semper fuerit, & quàm pulchra serie Romani summi Pontifices à Petro

ad hanc vſq; diem ſucceſſerunt, quod quidem nulla ratione fieri poſſet, niſi Spiritus ſancti ſufflatu præſidio fuiſſet, quo auſpice omnes hereticorum vires, qui diuerſis temporibus fuerunt, fregit, ac diſsipauit, atq; ita in poſterum ſperamus, non enim relinquet eam dominus, quæ ſupra dixi, ſi diligenter à te animaduerſæ fuerint ad ſanitatẽ, hoc eſt ad Romanam Eccleſiam reuerſurum arbitror, quòd ſi voluptatibus, & carnis illecebris detineris, reſpice quæſo illas abeuntes. Nam hoc pacto vt ſtultus negas eſſe Deum; Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus Pſal. 13. Veruntamen omnes eum Nationes fatentur, & cœli narrant gloriam eius Pſal. 18. quòd ſi pulcherrimum hunc ornatum, quem mundum appellamus contemplari quis velit, ſummam Dei ſapientiam, præſtantem virtutem, atq; probitatem infinitam admirabitur, quandoquidem ex nihilo multa tã aptiſsime compoſuit, cœlum tot luminibus exornauit, aerem auibus attribuit, piſcibus aquam, terram varijs arboribus, & quàm plurimis animantium generibus expléuit, quid ego hic metalla enumerem, quid herbas, quid alia commoda, quæ ad hanc vitám alendam, è terra proueniunt? quàm nihil prorſus inuenire poteris quod non aliquo ſit nobis vſui? Eſt igitur Deus, quem tu ſtulte negas cuius vita cum

ver-

verbis pugnas, de te conquæritur per prophetam, hic populus inquit labijs me honorat, cor autem eorum longe est a me, nam si crederes, quomodo etiam non intelligeres eum, qui preditus est summa virtute, nullam cum voluptarijs, & perditis hominibus consuetudinem esse posse? neq; sperandum est eum admissa semper dissimulaturum multi in hac vita, longè plures in altera admissorũ pœnas daturi sunt, vult enim lex, hoc est Deus ipse, suplicia delictis esse æqualia.

Quæ omnia, qui credunt ita eorum vitam constituũt, vt Deo optimo maximo sint accepti, cor enim in primis ipse requirit. Prouerb. 23. difficillimum vero multis est abstrahi à voluptatibus corporis, huiuscemodi autem cogitare deberent veras illas, & perpetuas cœli delicias, quas inani specie boni ammittunt. Neq; dicas, te non posse, aut non vocari. Nam ipse inquit, ego sto ad hostium, & pulso, & conuertimini ad me. quoniam verùm ipsum non audis, & reprehenderis Prouer. p. vocaui, & renuistis, extendi manus meas, & non fuit qui aspiceret, omne consilium meum, & increpationes neglexistis, & quæ sequuntur, Neq; quicquam tua illa profutura sunt, Deum esse optimum patrem, cui omnis familia sit cordi, & cũ omnes nos in filios elegerit, æquum est etiam illud edocuisse, cuius admini-

culo

culo salutem acquirere possis, quod nempe est Christum Iesum pro nobis ex intacta natum virgine, quem Romana, & Catholica repraesentat Ecclesia, quam qui negligit Christi sponsam negligit, neq; vllam cum sponso post mortem habiturus est consuetudinem.

Caput autem Ecclesiae viua vox est summus Romanus Pontifex quem si qui non audierint, eos Christus percutiet, vt Deuterono. Cap. 18. scriptum legimus, si quis audire noluerit, vltor existam. Neq; opus est adeo te fidere Dei benignitati, vt eum iustum esse iudicem obliuiscaris. Nugae sunt huiusmodi, & mera insani somnia qualia sunt omnia tua, vt cum dicis si vel paululum mentem animumq; tuũ ad Deum ipsum extulero, certissima mihi aderit salus, profecto tam hoc est fatuum, quam si quis credat clauum ligno adactum malleo, vno digitorum avulsu extrahi posse, non enim forte sufficiet vnus ad Deum aspectus, quo tibi ad bonam mentem redire liceat. Ridiculum vero est, quod dicis vereri ne rursus decidas, hac de causa nunquam cor tuum Deo obtulisse, quoniam longe melius sit non caepisse, quam non prosequi. At vbi est libertas illa qua Deus nos donauit, & nos tantopere praedicamus, vt totus inferorum locus hominis voluntatem cogere non possit? exemplo est Pharao,

qui

qui conuerti ad Deum nollet tot acceptis prodigijs, nunquam tamen est coactus. neq; religiosa illa mater, de qua scribitur Macab. 2. Cap. 7. cum in manu Tyranni vna cum filijs esset, varijsq; cruciatibus, ac tormentis afficeretur, nunquam adduci potuerunt, vt Tyranno assentiretur, & à diuinis legibus deflecteret, parum carnis vetitæ gustando, neq; tormenta modo, verum non mortem ipsam veriti sunt, quomodò autem demones nobis validiores sunt, & sapientiores dum periculum de nobis faciunt, ipsi præsidio Christi fulcti virtute, & sapientia præstabimus. si enim corpus istud hominem superaret, nemini unquam bonum esset, caro enim semper sui similia appetit. Mihi hercle videris similis ijs qui in luto decidunt, at quàm erit ridiculum si rursus cadere vereanrur, neq; surgere contendãt, perinde ac si malè esset recte ante casum agere, vt casus ipse certus foret, & necessarius.

At profecto si genera hominum perquiramus, nullos maiores Deo immortali hostis tui Hæretici hominis inuenimus, non Hebræos, non Turcas, sed quid ego dixi homines? immò demones ipsos pertinacia superas, qui cum adhuc in cœlo essent, Deo optimo maximo sese obijcere cæperunt, cognita enim affinitate hominis cum Deo futura, & quemadmodum naturam huma-

nam in Christo omnes beatorum acies, & vene-
rari, & colere debebant, omnibus contendit vi-
ribus, vt honorem illum Christo debitum, ad se
conuerteret, cumq; hominem iam creatum vide-
ret vna cum vxore ad quos inexplicabile bonum
pertinere videbat. Genes. 2. enixus est vniuer-
sam inficere speciem, vt inimicitijs inter Deum,
atq; hominem exortis constitutam dirimeret, de
biliorem itaq; partem, hoc est mulierem oppu-
gnare instituit Genes. 3. quæ spe boni victa, vi-
rum quoq; in eadem pertraxit iram, perpetrato
facinore proh dolor, miseros oppressit malorum
acies. Hinc febres, capitis, renum, articulorum,
dolores, & cætera id genus subsequuta sunt, atq;
in primis infensus Deo factus homo pudenda
frondis operit, tum agni pellibus induitur, quam
rē naturæ humanæ hostis animaduertens de ve-
nia quam Deus homini humanitatis vinculo, quā
agni pelles significabant, daturus esset, ambigere
cæpit, atq; eò magis anceps fuit, magno hoc
audito promisso humanum genus in semine mu-
lieris serpentem victurum esse. Accedebat filio-
rum copia, & victimarum oblationes, quos, &
ipsi imolabant, posteros ac successores ita fieri
oportere edocentes his Deum oblectari animad-
uertens, cuius rei exemplum est Abel. Genes. 4.
hic cum iustus esset, antiquus veterator, ne ex

eius

eius stirpe Christus oriretur dubitare cœpit, itaq; inter ipsum, & fratrem discordias serit, fore existimans, vt eo è medio sublato, nullo modo Deus cum homicida rem cœptam prosequeretur, verum quoniam maximè humanum genus augebatur hoc scælere non contentus, circumire cæpit, tentare atq; sollicitare vnumquemq; ad flagitia, ne vllus è tanto numero Deo acceptus existeret, è cuius semine Christus nasceretur. Atq; ita tot flagitiorum generibus terrarum orbē expleuit, quibus Deus immortalis tā feruenti ira exarsit, vt xxxx. dierū spacio noctiūq; ingenti pluuia vniuersam terram obrueret, Genes 7. Verum enimuero Nohæ cum tota familia in Arca ab aquis seruatum idem animaduertens, atq; arcus olim è cœlo demissus Genes. 9. & altaris oblationisq; ab Noha constituti memor Genes. 8. columbam viderat ad arcam oleæ ramusculo reuersam Genes 8. quibus signis cognoscere, & pro explorato habere cæpit, Deum cum humano genere pacem per Christum parare, quē cruci affigi pro omnibus vellet. Itaq; isthac inquit ipse non successit, alia aggrediar via; persuadet Nohæ, vt vitem colat, & inde vuas colligens vinum bibat Genes 9. vt ita ebrius fieret, quæ successit, ecce somno sepultus iacet, filius patri illudens eius pudenda aperit, quæ illi

 indi-

indignißime ferens filio maledicit, viciſſe ſe hoc facto ſeductor ſperat, ſed ipſum ſua fallit opinio; nan audit pauló poſt præclara illa, quæ Deus Abrahamo policetur, videlicet filium, è cuius ſtirpe Ieſus naſciturus eſſet, Genes. 15. huic igitur inſidias parat, vt à fratre interficeretur. Genes. 22. quod euincere nequiuit, quinetiam cum maximè putat Iſaac à patre interfectum iri, obſtat Angelus aliud ſacrificium oſtendens, nimirum arietem, Chriſti ſpeciem atq; figuram, neq; diutius moratur Ioſippum iuſtum, & valde acceptū patri intelligit, iterum metu angitur, ne is eſſet è quo Chriſtus ederetur, quamobrem conuertitur de more ad fraudes, fratribus ſuadet, vt eum in Aegipto diuendant. Genes. 37. iam verò aucto hebræorum numero, contra ipſos Pharaonem concitat, impius hic Dei hoſtis, filios omnes in ventre matrum enecat. Eſod. 1. Abeunt non pauci ex Aegipto in ſolitudines, vbi ita afliguntur, vt omnes propè interierint duo tantum terram illam promiſsionis ingrediuntur. Videamus modo quantopere obſtiterit huic aduentui Hebræis non pertinacia enim ipſi demoni fuit inferior, ſed multò iniquior, atq; deterior, ſi exiguum tempus angelis conceſſum antequam deciderent perpendatur, & longe maximum Hebræis quò Deum agnoſcerent, illiq; benedice-

rent

rent attributum, quanta isti audacia ab ipso defsciuerunt? consideretur etiam tempus post perpetratum facinus Hæbreis concessum, hos per tot temporum interualla Deus expectauit, tot muneribus, studijsq; affecit, atq; ad ueniam inuitauit, nihilominus diuinis vocibus, semper obstiterunt. Vnde ipsorum culpam nemo quamuis eloquentissimus defenderet, neq; vlla digna est misericordia.

Accedit ingratitudo, ob quam Hebræus maior hostis Deo existimatur, quoniã in ipsum, non in demonem maxima collocata fuerant beneficia, atq; in primis constituerat Deus cum homine Iudeo, non cum Angelo, affinitatem contrahere, humana non Angeli spolia induere, hominem, non Angelum redimere, sibiq; sacerdotium comparare æternum, tanto itaq; maior est hominis iniquitas. Quod quidem exemplo etiam clarius reddi potest, vt enim si aliquis nobilis vir ad maiores dignitatis gradus ascendere, quam ipse dignus est, cupit, nempe peccat, longè verò grauius fuerit si humilis, ac tenuis agricola aduersus honestiorem virum, aut eum cui parere debet ambitione tactus insurrexerit. Angeli igitur peccatum minus reddit naturæ ipsius præstantia; Hebræus autem cum se extollere voluit, sibiq; per summam iniuriam aduersus vo-

lun-

luntatem Domini hæreditatem vsurpare, tot nun cijs natibusq; à Deo ad se missis morte affectis, quæ omnia grauiorem ipsi culpam reddunt.
Alia ratione etiam hoc ipsum quod quærimus probari potest; nempe demones Christum confitebantur eumq; Dei filium prædicabant Math. 8. quem Iudæi vice versa negantes, probris onerabant, Ioan. 8. demones mortem eius impedire conabantur, at Iudæi, vt cruci affigeretur contendebant; Apostolorum orationibus demones ex obsessis corporibus, signis, atq; idolis migrant; Iudæi illos omnes cruciatis, & omnibus tormentis conficiunt, neq; his contenti, aduersus quoq; ipsorum filios, qui Christum con fiterentur sæuitiam sacris interdicendo, eosq; detestando exercuerunt. Augetur Iudeorum facinus ob ingrati animi crimen, vt superius dicebamus; quò enim maiora acceperant munera, eò grauiora scælera perpetrabant, quam obsecro haberent causam, ob quã à Christo discissenentur? illorum ipse cæcis visum restituit, leprosos mundat, paraliticos curat, surdis aures aperit, linguam mutis soluit, Math. 11. & alia huiusce modi, quibus se Dei filium proderet, ipsi autem obcecati, eum neci dedunt, qui cæteros vita donat; Baraba perdito latrone dimisso; quo scælere nullum grauius excogitari potest.
Videa-

Videamus modo maius ne fuerit Gentilium, aut Hebræorum delictum, & in primis hac ratione videntur Gentiles peiore loco esse. quoniam hi facile salutem acquirere poterant, quibus duo tantum seruanda essent præcepta naturæ. Hæbræo autem à præscripto illo sexcentorum, & tredecim præceptorum recedere non licebat, itaq; si qua in re defecisset excusatione dignus videbatur. Gentilis vero nequaquam, cui vnum tantum esset obseruandum, idque in ipsa natura positum. Quod tibi fieri non vis, alij ne feceris, si vis esse saluus, quamuis igitur Hæbræus Dei populus esset, victimas Deo offerret, templum possideret, ad eumq; prophætæ mitterentur, nihilominus satis constat quantas iniurias ab Gentile populo acceperit, non modo in Aegipto, verum etiam cum tantopere, ne Deo pareret impediebatur. sacris atq; oblationibus prohibitus, ingenti clade ad internectionem prope redactus fuit. Vbi vero promißionis terram ingressus est, quanta pertulit? quid enarrare attinet templi cæleberrimi excidium, tot sacerdotum cædes, constitutiones omnes, quæ a Deo optimo maximo constitutæ fuerant euersas. Huc adde hæbræos à diuino veroq; cultu nunquam defecisse præterquam cum vitulum coluerunt; sed

illud

illud raro accidit. Gentibus autem semper Idola pro veris Dijs fuerunt Horum igitur admissum supradictis de causis grauius existimare possumus, quamuis alijs rationibus Hæbræi aut pares, aut perparum inferiores gentibus fuerint. quid Turcæ? quibus hominibus eos comparabimus, & sanè Gentilibus persimiles videntur, in hoc tamen differunt, quod isti aliquam de Christo notitiam habent, illi autem penitus nullam, hac de causa peiores Gentilibus censentur. est & alia ratio, quoniam Gentiles statim Christum prædicatorum opera receperunt. Turcæ autem per tot annos ipsum contemnunt, eosq; qui eum sequuntur, gulæ, & cæteris voluptatibus indulgentes. Sunt vero alij Christi hostes, qui superiores, quos recensuimus longè superant nimirum desertores veræ, & Christianæ religionis, hoc est hæretici, siue à Luthero, siue ab Vgone, vt qui hodie vigent, siue à quovis alio nomen habent, Horum omnium atrocissimum est facinus, proptereaquòd consulto peccant, atq; illa proloqui audent, quæ supra diximus; si quis autem quærit quomodo Christiani hominis, & hæretici peccata non sint æqualia, cum alius quoq; dedita opera labi posit. Respondeo, quoniam qui in lapide permanent si decidant, vi ipsius lapidis, idest

Sacra-

Sacramentorum ope ſubleuantur, ſi quis autem ex lapide ſe proiecerit, in hunc ipſe decidit lapis, hunc ipſum frangit, ac proterit, vtinam quid mihi velim, deluſores iſti intelligant, ipſi enim ſub ingenti ſaxo verſantur, ſi quis ceciderit, ſuper lapidem iſtum confringetur, ſuper quem vero ceciderit conteret eum Math. 21.

Et hoc eſt, quia germanam ſequimini doctrina, quæ tota eſt veſtra, Chriſtus autem inquit, cuius nos Catholici ſequimur Doctrinam, mea Doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me Ioan. 7. & vt eam intelligere poſsitis dedit vobis Apoſtolos, Prophetas, & Doctores, Paulus ad Epheſeos, quos omnes contempſiſtis, prauam Doctrinam contra Sanctos, contra Chriſtum, contra voſmetipſos excogitando, ea qualis ſit conſidera Chriſtus iubet Math. 18. Pro ethnico, & publicano exiſtimari eum, qui non paruerit miniſtris eius, & Paul. ad Gal. p. anathema, ſi quis vobis, aliter prædicauerit. vos autem cum ſummo Pontifice, cum Eccleſia, cum Paulo bellum geritis, quid vobis miſeris eſt futurum? Diſcite inquit Chriſtus a me, quia mitis ſum, & lenis corde, ſubijcite ceruicem iugo meo, & inuenietis requiem animabus veſtris Math. 11. hoc ipſum Petrus ſuadet Epiſ. 2. Cap. 3. admonens ſimplices, ne audeant licen-

D ter

ter Pauli Epiſtolas legere, quoniam multa ibi ſunt obſcuriora, quàm vt poſsint à ſingulis intelligi. tu autem optimum quemq; ex populo ſacrarum litterarum interpretem exiſtimas, fruſtra igitur in illis Auguſtinus, Hieronymus. & cæteri doctiſsimi, ac ſanctiſsimi viri inſudarunt, quàm bene autem te ipſum, tuiq; ſectatores ſapiens effinxerit, non alienum exiſtimo huc apponere, vt omnibus innoteſcas, neq; poſthac quemquam circumvenire tuis audeas fucis Prouerb. ergo 6. interrogatus de hæretico homine ſapiens, ſic reſpondet. Deſertores hæretici, homines prorſus inutiles, neq; ſibi, neq; alijs vllo ſunt vſui, quoniam ſi ſal euanuerit ad nihilum valet, vltra ipſi autem ſalem vere ſpreuerunt qui eſt Chriſti ſapientia, tum ſequitur.

Graditur ore peruerſo, quoniam os habet ad terram conuerſum, eius cibus caro eſt, triſtitia.

Annuit oculis, neq; enim audet efferre, aut docere Doctrinam eius itaq; nutu, atq; oculis loquitur.

Terit pede, hoc eſt legem, bonos mores, Sacramenta, Chriſtum ipſum conculcat.

Digito loquitur, cum enim loqui non audeat, per litteras agit, atq; inter eos, quos poteſt, venenum euomit.

Prauo corde molitur malum, id eſt ſemper ijs

qui

qui præſunt aduerſantur, oblatrat ſummo Pontifici, & contrà eos qui ei parent continenter bellum gerit. Omni tempore iurgia quærit. Auctor ſeditionum nempè, vt quiſq; ex illis ciuitatibus ac locis in quibus huiuſmodi homines verſantur, aut eorum doctrinam ſerere potuerunt diiudicare poteſt, nulla certe ibi relicta eſt domus, quæ diſſenſionibus, odijs, ac ſimultatibus nõ conflagrauerit, corruerit, perierit, quæ ſcælera iuſtiſsimus Deus digno vindicabitur ſupplicio, vt noua hæc veſtra manus, dum alienis bonis locupletari cupit inſignem nuper in Flandriæ cladem accepit, quemadmodum Prouerb. 18. legimus, Huic ex tempore adueniet perditio, conteretur, nec inueniet vltra medicinam, quia peccatorum cum in profundum venerit, contemnit. quandoquidem huius mens tenebris offunditur, quia non credit; immodico enim iſtarum rerum amore luna eius, hoc eſt voluntas deficit; ſtellæ, hoc eſt ſenſus illis è Cœlo decidunt, toti enim terra deduntur. itaq; tumultus concitant; fratrem aduerſus fratrem, filios contra parentes, maris æſtus, & fluctuum perturbationem, proh dolor, animarum ſolicitudinem ſignificat, quæ ab iſtis decipiuntur, eæ profectò vltionem à Deo petẽt, ſignũ itaq; filij hominis, quod eſt crux improbis, & ſcæleratis apparebit, quã ipſi negle-

xiſtis, tum vero aduerſus vos filius Dei inſurget, neq; totus ex carne compoſitus videbitur, vt eum effinxiſtis, neq; tam mitis, vt nulla ſit in eo iuſtitia, ſed aſper, ac inexorabilis ferrea, & candenti armatus virga vobis apparebit, tunc temporis luna, hoc eſt, Maria vobis ſuo lumine abolito non fulgebit, quin potius de iniurijs, quas eam oneratis apud filium, conqueretur. Stellæ è Cælo decident. ideſt Sancti omnes impietati veſtræ aduerſabuntur, nempè eorum gratiam contempſiſtis, ieiunia, doctrinam ipſorum, paupertatem, & cætera huiuſmodi; erit per ea tempora gentium calamitas, quoniam Hæretici omnes, vna cum eorum ſectatoribus pœnas dabunt cruciatibus, & rabie affecti, proprias ipſorum carnes dentibus petent. præ dolore vero tormentorum miſeri, incredibiles tollent voces, diris omnibus cuncta bona, execrando corpora, & animas ipſorum deteſtabuntur; atq; hoc eſt, quod ait ſapiens circa eos fore maris perturbationem, æſtus, fluxus, & refluxus, vt pænarum magnitudinem, quibus detinebuntur oſtenderet; animi enim, & corpora ſimul admiſſorum pondere prementur.

F I N I S.

Roma
Accepi transmissum ab auctore, die VI Augusti
M·D·LXXXVII.